

B A

B. R. V.

548

27.7.1974


344


BIBLIOTECA  
Centrală a „Astrei”

SIBIU



Inv. 74





SVPPLEX LIBELLVS  
VALACHORVM  
TRANSSILVANIAE  
IVRA TRIBVS RECEPTIS NATIONIBVS COMMVNIA  
POSTLIMINIO SIBI ADSERI  
POSTVLANTIVM.

---

CVM NOTIS HISTÓRICO - CRITICIS

I. C. E.  
CIVIS TRANSSILVANI.




BIBLIOTECĂ „ASTRI”  
memorială pentru M. R. Rosetti și cimitirul românilor

Centrala Sibiu  
Nr. 2706

CLAUDIOPOLI.

---

Sumptibus et Typis Martini Hochmeijer, Caef. Reg. Dicaf. Typographi & pr.  
Bibliopolæ. MDCCXCI.



---

*Non potest videri desisse habere,  
qui nunquam habuit.* Reg. Iur. 208. in Digest.

---

*IMPRIMATVR. C. Eszterházi. m. p.  
Claudiopoli, die 10. August: 1791.*



## Praefatio Editoris.

**D**uplex est hominum genus, quos vel primo obtutu hic commentarius offendat: alterum eorum, qui cum ipsis alienigenae sint, ita que prope ut Valachi in hac provincia agant, (\*) communem hanc causam rati, rerumque novarum cupidi, limis nimirum oculis, quidquid ad confirmanda vetera Civium Transsilvanorum jura pertinet, intuentur. Sed his quidem fucis Patriae, si haec nostra non placeant, quid respondebit, quid consilii dari possit, ut ab hac se molestia liberent, cuique promptum est. Sentiant ipsis, ut libet, eorum morari judicia nihil attinet, neque iis haec, cuiuscumodi sunt, scripta sunt.

At vero sunt alii cum exteri, tum fortasse etiam Cives hujus provinciae, quorum nimirum habenda nobis ratio. Hi quum viri bo-

---

(\*) Sok helyeken majd nyilván való erőszakkal élödnek a' több Nemzeteiken és azoknak határin. *Approbat. Conf. P. 3. sit. 5.*

ni sint atque humani, naturae suae temperamento eorum se nimisrum partibus adjungunt, quos esse miseros putant, facileque sibi persuadent, eosdem, qui miseri sint, etiam injuria adfectos esse. Quod quidem iudicium, quatenus ad Valachos nostros attinet, isto, de quo agimus, supplici libello vobementer confirmari oportuit; quum verisimile non sit, istam nationem, nisi evidenti causae aequitate niteretur, preces suas ad regium adeo solium fuisse delaturam. Hac itaque veritatis specie diluenda, atque Principibus Ordinibusque Patriae meae, qui palam adeo illatae Valachis injuriae postulantur, ab hac suspicione liberandis operaे nimisrum pretium facturus videbar.

Res, de qua agitur, in summa haec est. Articulo sexto comitiorum anni 1744. decretum est: „Valachos nobilitari praerogativa gaudentes ei nationi e tribus receptis, Systema hujus Principatus constituentibus, ubi per adoptionem bonorum Sedem fixerint, absque quartae nationalitatis erectione, annumerari: at vero, ne Systema hujus Principatus evertatur, jura trium illarum nationum ad plebeos Valachos extendi, aut hos itemque alios advenas numerum inter nationes facere non posse. Atque hunc articulum Princeps aequissimus, legumque Patriae retinentissimus Leopoldus II. Rescripto ad Ordines Provinciae Florentia 18. Maii anni hujus, quem agi-

mus, exarato pro Basí eorum, quae in favorem Valachorum statuenda sunt, haberi imperat. Contra Valachi eundem articulum sibi injurium esse queruntur, quod olim, atque adeo ad Seculum XVII. ampliora eorum, eademque, quae Hungarorum jura fuerint. Id ergo efficiendum, ut doceatur, Valachorum Nationem inde ab Hungarorum in has ditiones ingressu neutquam eo, quo nunc tres, sistema hujus Principatus constituentes, quas receptas vocamus, nationes jure Civitatis Transsilvanae fuisse fruitam, atque idcirco articulum illum memoratum anni 1744 justum esse, citraque omnem afferendae Valachis injuriae suspicionem pro Basí legum de Valachis rogandarum, ut Princeps imperat, haberi posse.

Istuc num commentariolo isto meo praesitum sit, sensatus lector viderit. Ego quidem effecisse mihi ita cumulate videor, ut dubio locus non sit. Atque adeo redundare etiam aliqua videri possint, eritque fortasse, qui mihi inlamet: Sed nunc non erat his locis. Atqui certe, dum expendas: si perdes tamen, non jurgabor, sed orabo: aequus ut accipias, quae una obtuli parerga etiam ad Patriam pertinentia neque facile obvia.

Ceterum quum quid ante factum sit, veterum monumentorum fide dispuo, quid deinceps fieri Valachorum gratia Patriae intersit, non  
at-

attingo, neque id seu possum, seu volo. Et vero Proceres Patriae  
meae dare adeo jam operam video, ut, quatenus ex provinciaie institu-  
tis fieri possit, horum hominum commoda augeant. Quod si fiat, se-  
cundis, gratulantibusbue Civibus Transsilvanis universis factum iri,  
de me praestare, de ceteris, ut est humanitas nostrorum temporum,  
tuto judicare possum. Scribebam Cibinii 3. Aug. 1791.

---

Di



(1) *Dive Cæsar Auguste!*

**Q**uum Majestatis vestrae summus in regendo hocce Imperio finis, & justissima Intentio ea sit, ut Iura universitum hominis, tum ipsius Societatis Civilis ad omnia membra, quæ eandem sua unione

---

I. Diu Te sospitem nobis servet Deus, Auguste Cæsar, seraque sit illa dies, qua Te eruptum terris, in *Divis* habeamus!

Paucis antea quam ad rem ipsam ingrediamur, de eo, qui in praesentia est, Valachorum in Transsilvania statu explicemus.

Diditus est Valachorum populus magna sane frequentia per omnem late Transsilvaniam: tamen maxima eorum copia in Comitatibus Transsilvaniae agit. Hos inter sunt aliqui Regum beneficio *nobiles* latifundiorum Domini atque eorundem, quibus Nobiles Ungari fruuntur, privilegiorum compotes, alii *Armatissæ* iisque vel *ordinarii* ceteris nobilibus, quod ad jus ipsum prærogative nobilitaris attinet, suppares, vel *sclopetarii* ducenti primitus ab Michaële Apafio anno 1667 ad custodiā quarundam arcium creati, ad rusticorum iterum statum redigendi, si quando officio suo defuissent. Compilat. Constat. P. V. Edict. 20. & 21. At vero maximus est Valachorum *colonorum* Dominis, ut vocant terrestribus obnoxiorum in Comitatibus numerus.

Pauciores sunt homines hujus nationis in Sedibus Siculorum (circ. vi.

ne efficiunt, atque onera ejusdem servandae, & vita & rebus sustinent, apprime extendantur, neque pars civium divellatur, ut alteram suis juribus violenter privet, opprimatque, (2.) idcirco Natio Valachica in M. Transsilvaniae Principatu degens, publice medio hujus libelli supplicis se ad Solium Majestatis prosternit ac omnibus precibus obtestatur, ut fibi reddantur pristina jura, quae omnibus Civibus essentialiter adhaerent, (3.) quibusque Seculo superiore nulla auctoritate, sed iniqua duntaxat temporum illorum forte, ut mox exponetur, expoliata fuit.

Est Natio Valachica omnium in Transsilvania Nationum antiquissima (4.) longae hujus aetatis, cum a Romanis ipsam Colonias,

---

ginti millia) colonorum conditione Dominis terrestribus subiecti, demtis illis, qui cum limitaneis Siculis militiae adscripti fuere.

Tripli denique circiter major est Valachorum in Sedibus Saxonum frequentia, itidemque duplex eorum genus, saltem ut nunc res sunt; nam olim ab his ipsis, qui nunc liberi sunt, quinquagesimam (notum historiae studiosis tributi genus) Saxonibus fuisse penitatem, ex veteribus litteris docere promptum est. Itaque his temporibus alii iisdem, quibus Saxones liberi in pagis agentes, juribus perfruuntur, ceteri eodem, quo alii ipsorum populares in Comitatibus et Siculorum sedibus jure, coloni sunt.

2. Evidem haec legenti eam suboriri cogitationem necesse est, Valachos recenti aliqua per ceteros Transsilvaniae incolas atque insigni affectos injuria de salute omnino periclitari, ita exaggerata ad acerbitatem omnia. Videndum itaque, quid dignum tanto ferat hic promisor hiatus.
3. *Civibus essentialiter adhaerent.* At vero istud ipsum, sintne Valachi *Cives* hujus patriae proprii, an precarii *inquilini* docendum.
4. *Antiquissima.* Sane quam confidenter! Anne Romanis provinciam invadentibus pristinos incolas omnes aut occidione deletos aut eductos e Dacia seu tum, seu deinceps aliquando doceri potest? Contra Romanorum colonias, a Trajano in Dacia collocatas, ab Aureliano eductas ex hac

niis, per Imperatorem Trajanum Seculo 2. inchoante in Daciam freqventer copiosissimo veteranorum militum numero ad tutandam Provinciam deductis propaginem suam habere fide historica, traditione nunqvam interrupta idiomatis & morum consuetudinumque similitudine fit certum probatumque.

Successores Trajani Augusti possederunt Daciam aliquot Seculis, (5.) qvorum praemanente Imperio fides etiam christiana in hac Provincia juxta Ecclesiae orientalis ritum opera Episcoporum Prothogenis, Gaudentii, Nicaetae, & Theotimi Seculo paeprimis IV. propagata fuit, prout id ipsum historia ecclesiastica universa docet. (6)

b

In-

provincia atque in Moesia collocatas Eutropio (L. 9. c. 9.) & Vopisco (in Aurel.) auctoribus certum atque adeo in vulgus notum est.

5. *Aliquot Seculis.* Heic vero iam sic satis patescit, qua seu fide seu diligentia hoc scriptum conflatum sit. Trajani Successor proximus Adrianus imperium auspicatus fuit anno Christi 117. Aurelianus vero deductis ex omni Dacia Romanis præsidiis provinciam Gothorum imperio permisit anno 274. Romanorum itaque in Dacia imperium sub Trajani Successoribus sesqui altero vix amplius seculo tenuit: atque hoc demum intervallum aliquot nimirum seculorum commemoratione nobis oggeritur, ut hoc tanto tempore Romanorum colonias auctas numero diditasque per omnem Transsilvaniam eo certius existimemus.

6. Mirum dictu, quam hæc detorta sint. Res ita habet in summa. Exente quarto Seculo *Hunnorum* aliquam partem virorum apostolicorum atque in his Theotimi opera ad Christiana Sacra traductam fuisse testis est Orosius L. 7. c. 41. & Hieron. ep. ad Laetam, sub initium autem quinti Seculi eorundem *Hunnorum* in Religione Christiana confirmandorum gratia Nicaetas Milkoviensem Episcopatum instituisse perhibetur. Cf. Benkő Milkov. §. XIII.) Nihil uspiam de reliquis in hac Trajana Dacia Romanorum coloniis vestigii.

Interim jam Seculo III. coeperunt barbarae Gentes in opima  
hac Romani Imperii Provincia fortunam periclitari, successitque  
ipsis (7.) in nonnullis ejus Partibus, firmas per aliquod tempus fi-  
gere Sedes, nunquam tamen eo rem deducere potuerunt, ut Ro-  
manorum ibi Nomen, & Imperium penitus extingverent, certum  
enim est, ipso etiam Seculo IV. plures ibidem Romanis Impera-  
toribus in oriente ad ripas praesertim Danubii paruisse arces, (8.)  
interiores vero Provinciae partes tanto Romanorum Incolarum  
Numero abundabant, ut jam circa Seculum VII. excuso advena-  
rum jugo propriam erigerent Rempublicam.

Obtigit hæc fortuna illi præcipue Daciae Parti, quæ hodie  
Transsilvaniæ nomen obtinet, atque Romani ejusdem Incolæ,  
suppresso aliarum gentium Dominio propriis e sua Natione e-  
lectis Principibus, usque ad Hungarorum adventum parue-  
runt. (9.)

Re-

- 
7. *Successitque ipsis:* Sane adeo ipsis successit, ut Aurelianus provinciam re-  
tineri posse desperans provinciales Romana Stirpe oriundos ex Dacia de-  
duceret, itaque deinceps Gothi, Hunni deinde, tum inde fere a medio Se-  
culi 6 Avares, atque nono Seculo Hungari heic loci rerum potirentur.
  8. *Paruisse Arces.* Quaenam autem hæc arces Romanæ in Dacia Trajana? Equidem scio Romanos traductis ex Dacia Romanis coloniis Moesiam, in  
qua has colonias collocarint, *Daciam* adpellavisse, ut olim Augustum,  
quum Germaniæ dominatum obtainere non posset, parti Galliæ, quam te-  
nuerat, Germaniæ nomen indidisse accepimus. Sed nempe de Trajana  
Dacia Sermo est, atque in hac nullum omnino ejus reipublicæ Romanæ,  
quæ in hoc scripto memoratur, Seculo septimo vestigium.
  9. Quo auctore, quave fide haec dici ita confidenter possint, non video: ni-  
si forte jam ista omnia famigerati illius Belæ notarii testimonio nimirum  
nitantur, de quo paullo post video .Apud Byzantinos Scriptores hac le-

Remansit deinceps Dominii, quod inter reliquos sibi in eo succedentes alienos populos, Schlavicae quoque gentes quædam super Romanos Daciæ Incolas exercuere, vestigium illud hodie dum perdurans, quod Nomenclatura *Vlachi* seu *Valachi*, quæ

b 2

Sla-

go: *Constantinus Dragusis Peloponесum obtinuit & in ea Pindum Montem quem Blachi incolunt*, itemque Petrum atque Asanum Valachorum ad Haemum incolentium Principes serius Isaacii Angeli Imperatoris temporibus iuncto cum Bulgaris Cumanisque Valachiae & Moldaviae incolis foedere Graecorum se imperiis subduxisse (Ap. Stritter T. I. P. I. §. 32.) Sed ex his id utique rectius argui posse videtur, Blachos istos Haemni accolas cum suis utique popularibus, si hi Daciae domini fuissent, quam cum Bulgaris & Cumanis foederis Societatem fuisse juncturos. Iam vero ea, quam memoravi, avulsione a Graecis (quos item Romanos adpellatos fuisse constat, unde & vulgatae apud Valachos adpellationis *Kumury* origo peti explicari, que e nostra Sententia eo commodius potest, quod occidentales Romani Valachorum idiomate non *Rumury* sed *Romany* audiant,) consequta Valachos in modernam Valachiam atque inde in Transsilvaniam venisse, ex manu exaratis Valachorum chronicis, quae Valachiae Cancellarius (Logothetam dicunt) *Gretsan* ex tabulariis popularium suorum conscripsit, apertum est. (Ap. Sulzer *Geschichte des transalp. Dac.* Vol. 2. p. 28.) Atque hoc ita constituto facilis est explicatus, quomodo *Silvam*, quae Valachiam a Transsilvania dirimit, Andreas II. in privilegio Saxonum *Silvam Blacorum* adpellarat, quomodo item Bela IV. Kenazatum aliquem terrae Severinensis Olacis adfirmare potuerit. In diplomate Belae IV. anno 1247. exarato atque a *Prayo* dissert. VII. edito mentio est quorundam Vajvodarum Olacorum, atque hinc forte magnifica illa libelli supplicis fluxerunt: Valachos gentilibus suis Principibus paruisse. Sed audiamus Virum in veteribus momimentis sane versatissimum, celeberrimum que Annalium Hungariae Scriptorem eundem quem nunc admodum memoravi *Georgium Pray*, qui Dissertatione VII. ex instituto de Valachis agens §. III. ait: *Principes suos gentem habuisse veri est simillimum, sed quorum initia vix medium Seculi XIII. attingant. Alioquin Cumanis primum parebant & Graecis aliquamdiu, postea autem quam in Hungariae regum dominatione erant,* Ba-

Schlavicis populis testante Lucio Dalmata, et Cromero Polono quemvis *Romanum*, *Italum* aut *Latinum* denotabat, ipsis dumtaxat Daciam incolentibus Romanis posterioribus temporibus adhaeserit. (10.) Dum Hungari ad finem Seculi IX. sub duce *Tubutum* Transsilvanicas partes invaserant, Romani earundem Incolae mutato nomine *Viachi* appellabantur. Testante antiquissimo Hungariae Scriptore Anonymo Belae Regis Notario,

pro-

---

*nos Severinenses ex Hungaria illuc missos fuisse, qui populum cum suo capite in obsequio & fide continerent, diplomatum Subscriptiones testantur.* Haec eadem neque quid aliud extricare potuit is, qui diligentissime in rebus Valachorum versatus est, Franciscus Sulzer, qui pluribus etiam congestis argumentis id denique conficit, Valachos hodiernos Transsilvaniae serius atque adeo Regum Hungariae temporibus in hanc provinciam venisse. (l.c.) Ut adeo mirandum sit, undenam recondita illa atque abstrusa scientia de supppresso per Valachos in Transsilvania aliarum gentium dominio hauriri potuerit.

20. Evidem plura sunt, quae heic de appellatione Valachorum memorari possent: (Cf. *Cromer. Corp. hist. Polon. Filii Schediasm. De Valach. hist. Thunmann* aliisque apud *Gebbardi Hist. R. Bulgar.* edit. ann. 1788. p. 377.) Sed nempe sunt haec in praesentia ab instituto nostro aliena, satisque fore videtur, Chalcondilae locum supra allegatum e Byzantinis huc plenus adscribere, ut adpareat, quam vere dictum sit: Valachorum nomen Romanis Daciam incolentibus dumtaxat adhaesisse. *Pindum montem, quem Blaci incolunt, quibus eadem cum Dacis lingua est, nec quidquam ab iis differunt, qui Istrum accolunt.* Ex quo quidem loco id iterum elucet, quod supra adfirmavi, Valachos serius e Graecia in Transsilvaniam commigravisse. Ex linguae nimirum similitudine, quam Chalcondilas adfirmat, eadem Blacorum Dacorumque istorum aliquando fuisse incunabula recte arguo; atque si haec in Dacia collocanda sunt, *Oedipo opus est, qui explicet, qui factum est,* ut nulla prope sit valachici idiomaticum cum idiomatico Gothorum atque Hungarorum, ceu Dacieae Dominorum, maxima autem cum Slavo. zum Thraciae incolarum idiomatica affinitas.

proprius tunc temporis ipsis praeverat dux *Gelou* suprema cum potestate; in pugna tamen, quam pro tutanda patria cum Hungaris inivit infelix, nam in illa Dominatum & Vitam amilis. (11.)

Post

11. Hic demum est fons ille, ex quo paradoxa plurima hujus scripti manant. Non est heic locus argumentis ex re ipsa studiose petitis disquirere, cujusnam in historia ponderis sit habendum testimonium auctoris (refragantibus Kollario & Prayo Anonymum dicunt) trecentis & quinquaginta propemodum annis ab harum rerum, quas narrat, temporibus disjuncti, adversantibus praesertim atque longe diversa narrantibus Constantino Porphyrogen. aliisque auctoribus accuratissimis. Sed sane hoc loco *reflexo*, ut vocant, argumento uti sat erit, gravissimo nempe virorum in historia volutatorum, dein autem de partium studio minime suspectorum iudicio.

Ac primum Sulzerus rerum utique Valachicarum uberrimus scriptor, hanc omnem de Tuhutomo Valachisque adornatam a Belae Notario narrationem inter fabulas refert, videturque ipsi Notarius iste suam sibi de statu Transsilvaniae seculi noni imaginem ex rerum adjunctis, qualia erant tum, quum ipse scriberet, id est circiter medium seculi tertii decimi effinxisse. (l. c. p. 10.)

Deinde vero Prayus Dissertat. IV. §. VII. multis aliis praemisis, quæ ad convellendam Notarii istius auctoritatem pertinent, subdit: *Ceterum autem reor, nostrum (Notarium) ex vulgi cantilenis sua magnam partem statuisse, id quod ei ne cogitanti quidem exciderat dum ait: (Cap. 25 id est eo admodum loco, ubi de Tuhutomo narrat.) „Ut dicunt nostri joculatores, omnes loca sibi acquirebant, & nomen bonum sibi accipiebant.“ Id vero maximam ejus historie partem conficit, ut doceat, quas quicvis Ducum ditiones accepit. Hoc opinor est ex joculatorum cantibus primas Hungarorum res litteris comprehendisse.*

Eqvidem haec talia sunt, ut nihil licentius fecisse videri possem, si omnem hanc, quæcumque est, Notarii narrationem a ceteris monumentis veteribus abhorrentem nauci habeam, atque uno hoc omne id, quod hoc fundamento nititur, aedificium subruam. Sed simus sane faciliores quam veritas ipsa patiatur, largiamur aliquid causae fiducia. Sit ita sane ut praefertur, valeant haec omnia Notarii: quid itaque is ait? In summa

Post triste hoc Principis fatum non ultra Hungaris restiterunt habitatores Provinciae Romani *Vlachorum* nomine venientes, sed cum mortem sui Domini viderent (qvemadmodum *Anonymus Belae Regis Notarius* in historia ducum Hungariae cap. 27. narrat) propria voluntate dexteram dantes dominum sibi elegerunt Tuhutum Hungarorum Ducem, ac fidem jure jurando firmaverunt. Gyula Senior ducis Tuhutum nepos aeqve dux Transsilvaniae suscepit Constantinopolim itinere fidem christianam ibidem Seculo X. juxta Ecclesiae orientalis ritum amplexus est, asumptoque secum in Transsilvaniam Monacho Hye-rotheo, postea ad Episcopi munus evecto plures e popularibus quoque suis eidem Ecclesiæ afferuit, docente id ipsum Samuele Timon in Imagine antiquæ Hungariæ libro III. Capitulo primo. (12.)

Secu-

---

haec: Tuhutum per exploratores edoctum, regionem ultrasilvanam naturæ dotis cumulatam sed hominibus vilissimis totius mundi Blasis & Sclavis neque armis neque audacia valentibus habitatam, cum exercitu Vngarorum adversus Gelou Blacorum ducem esse profectum; superatum praelio caesumque ducem, ceteros vero quum armis desperassent, Fide Sacramento obligata in dominium Tuhutumi concessisse. Haec sunt, quae Notarius tribus capitibus 25. 26. & 27. persequitur, quibus sane nihil etiamnum commodi quod ad haec nostra tempora pertinere possit, Valachis enasci video.

12. Multa sunt, quae hic Cedreni (edit. Paris. p. 636) & Zonarae Graecorum fide pro certis offeruntur, de qvibus viri graves, judicesque in historia idonei, nec abs re dubitant. (Cf. Steph. Katona *Histor. crit. Duc. Hung. ad ann. 948.* Sed his insuper habitis id solum juvat quaerere, quamobrem Gyulam illum Tuhutumi nepotem christianorum sacris imbuendum Seculo X. Constantinopolim proficiisci, itemque Monachum Graecum Transsilvanorum linguae ignarum acciri ab eo in provinciam oportuerit, si vera sunt ea, quae supra dicta sunt, quarto jam Seculo Religionis christianæ

Seculo XI. postquam St. Rex Stephanus Transsilvaniam devicto Duce Gyula juniore regno Hungariæ addixisset, reliqui etiam in Transsilvania Hungari ad Sacra transiverunt Christiana, opera tamen Sacerdotum Ecclesiæ occidentali addictorum, qui in eorum conversione laborabant, Ecclesiæ occidentali asserti fuerunt, et cum reliqui etiam Hungari adhuc sub Duce Gyula Seniore ad Christum conversi succesive ad Ecclesiam occidentalem transivissent, soli fere Vlachi Provinciae habitatores in Ecclesia orientali perstiterunt.

Hac quoad ritus Ecclesiasticos diversitate nequidquam obstante jura civitatis utrique genti hungaricæ videlicet, et valachicæ a tempore, quo sub duce *Tubutum* in unam Societatem coaluere, communia erant, sufficiat brevitatis (13) causa in argumen-

---

doctrinam per diversos Episcopos orientalis Ecclesiae in Daciam fuisse illatam? Sane nisi nova hypothesi precaria, neque ullo veterum testimonio firmando Sementem illam virorum apostolicorum Seculi IV. non ita fuisse efficacem statuamus, ut fructus ejus ad decimum usque Seculum pertinenter, hoc nos laqueo neutquam expediemus. Sed horum meminisse leviter satis est, neque enim faciunt ad propositum argumentum.

13. Haec hactenus parerga: sed hic demum locus est, in quo cardo rei vertitur. Quo magis mirandum, auctorem libelli supplieis, qui ita prolixe extra oleas, ut ajunt, versatus fuerit, nunc repente, ubi de summa rei agitur, *brevitatem* affectare, atque rem omnibus ad hoc tempus inauditam uno argumento se conjecturum recipere. Ifuc itaque quale sit videamus.

Georg. Pray Dissertatione VII. §. VII. p. 163. ut evincat, Valachos Transsilvaniae olim juribus Episcopi latini obnoxios fuisse, quod sequitur, fragmentum litterarum profert.

, Conventus monasterii B. Mariae V. de Clusmonofra — praeſentium notitiam habituris Salutem, &c. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nobiles viri Ladislaus Filius Benedicti Farkas — Paulus Magnus de Vaydahaza vexillifer universitatis regnicolarum Hungarorum &

mentum hujus veritatis adferre literas authenticas conventus Beatæ Mariæ Virginis de Colos Monostra Anno 1437. exaratas, quas Clar. Pray in historico critica dissertatione septima, sectione octava, sequenti tenore in lucem edidit: *Paulus Magnus de Vayda Haza vexilifer universitatis Regnicolarum Hungarorum et Valachorum in partibus Transsilvanicis &c.*

Ad-

Valachorum — — Transsilvaniae — — parili voce detexerunt & confessi sunt in hunc modum. Quod postquam praedicta universitas Hungarorum & Valachorum in his partibus Transsilvaniae *in queru[m]cunque possessionibus commorantium*, tum pro eo, quia Reverendus in Christo pater Georgius Lepes Episcopus Transsilvanus suas decimas ex parte ejusdem universitatis sibi debendas currente moneta vilium denariorum exigere nolens, fere tribus annis ad ipsos accumulando, moderno tempore cum magna & ponderosa moneta extorquere voluisse, in eos minus juste & indebitate pregravando, propter quarum decimarum non solutionem ecclesiasticum impo-suisset interdictum &c. Datum Sabbatho proximo post festum Visitationis B. Mariae Virginis anno Domini 1437.“

Iam primum nihil profertur, quod litteras has ita mancas atque interruptas, nihilominus authenticas esse eaque vi praeditas confirmet, ut alto monumentorum ceterorum ejus aetatis silentio ad insigne nationis integrae jus evincendum sufficere posse videantur.

Deinde res, qua de nunc agitur, his litteris non ex instituto inserta, sed obiter atque ita leviter insinuata est, ut haud sciam, an si eodem modo his litteris significatum esset, Cajum Petronio centum aureos debere, neque Petronius aliud juris sui praesidium allegandum haberet, debere re ipsa Cajum, ullo in tribunal decerneretur.

Sed sinamus licet haec omnia, quid ergo demum hoc Schediasmate conventus Monostoriensis continetur, quo triumphare nimirum Valachi magnopere, quove efficere possint, Valachorum nationem Seculo quinto decimo jure Civitatis Transsilvanae fuisse gavisam? Certe primum quidem ex forma Regiminis ditionum Hungaricarum certum est, eas nationes, quae jure Civitatis gauderent, *potestatis*, ut vocant, *legislative* partem ha-

Advertit eodem loco celeberrimus Auctor in literis suis conventionalibus universitatem regnicolarum Hungarorum, et Valachorum provocare se ad quoddam Instrumentum Sti. Stephani Regis, in quo de eorum immunitatibus ageretur: quod ipsum

c

de-

buisse, itaque earum nationum legatos communibus provinciae comitiis adhibitos; alterum pariter certum, inde a principio regiminis Hungarici homines obnoxios, alienarum terrarum colonos neque partem ullam in condendis legibus, neque locum in comitiis habuisse, atque adeo jure civitatis nunquam fuisse gavisos. Atque his constitutis, eoque praeterea animadverso, litteras illas Monasterii de Valachis loqui, qui in aliorum possessionibus commorarentur, luculente nimirum patet, nihil illa phrasι contineri, quo Valachi magnopere glorientur; nam quosdam ipsorum jam anno 1437. regnum incoluisse, atque *regnicolas* adpellari potuisse facile nimirum dabimus; at vero neque universos *regnicolas* eo tempore Hungaros Valachosque fuisse, neque hos *Status* provinciae fuisse palam est ex vetustioribus litteris Ludovici I. anni 1344, quas ex autographo Capituli Albensis nuper edidit Ill. Praepositus *Szereaday* in Serie Epp. Transl. pag. 82. Sub initium harum litterarum *Status* provinciae ita recensentur: *Vnivesi Nobiles, Siculi & Saxones, & hi sub finem Regnicolae Transsilvaniae adpellantur.*

Addamus jam historiae studiosorum gratia aliqua, quae ad illustrandas litteras illas monasterii Monostoriensis facere possint, quum id neque a Prayo, neque ab alio quoquam factum sit.

Ex litteris Belae IV. anni 1246, quas ex autographo tabularii Albensis in Transsilvania vulgavit Cl. Katona Hist. crit. Reg. Hung. Tom. VI. pag. 73. itemque ex Litteris Ladislai anno 1282 exaratis. (In Tabulario capituli Albens. fascic. I. N. 35. ap. Szered. in Serie Epp. Transl. pag. 22.) manifestum est, Episcopos Transsilvaniae in quibusdam *curtibus suis Pontificiis*, in quibus et *Golou*, (hodie Gyalu) de *Comitatū Culusienī*, *Kolosvar* item (Sigismundi demum temporibus regiae civitatis jura adeptum) *Kapus, Keoreosseu* (Körösfő) fuere, juribus *liberorum Baronum* id est plena jurisdictione seculari usos fuisse. Porro in litteris Sigismundi jam ante anno 1398. ad *Nobiles Transsilvanos* scriptis apud Benkő Milk. t. 2.

denuo argumento est, utramque nationem easdem immunitates habuisse, iisdemque regnicularibus juribus gavisam fuisse (14.)

(15)

p. 321. manifesta est mentio, Episcopos Transsilvaniæ *Banderium adeo proprium* (definitam militum sub signis Episcopi militantium manum, Italis *Banderia Vexillum*) alere debuisse, atque ea caussa *Decimas Valachorum Episcopaliū* ipsis esse relictas. Idem expressum est decreto Comitiorum anno 1540 post festum S. Bartholomæi Segesvarini celebratorum, quod ita habet: *Reverendissimus Dominus Episcopus ex Bonis Episcopatus omnes proventus et Decimas exigere faciat: sed ea conditione, ut penes Dominos Capitancos teneat in hoc regno exercitum Episcopatus, aliquin et de Bonis et Decimis Episcopatus punietur.* Atque ex his jam quidem facile perspici potest, cuiusnam generis *Regnicoles* illi fuerint, decimarum Episcopaliū pensitationi obnoxii, qualisque ea *universitas* fuerit, cuius *vexilliferum* fuisse Paulum *Magnum litteraræ Monostorienses* memorant.

Sed harum quidem litterarum exemplum, modo genuinæ sint, suspicor in tabulario Claudiopolitano Ecclesiæ S. Michaelis superelle, quo nimirum litteralia instrumenta Monasterii Monostoriensis olim jam fuisse translata lego apud *Szegedi synops. vit. Belæ IV.* Atque utinam quis eorum, quibus hoc præstundi copia est, hunc sibi levem, litteras istas integras extricandi laborem sumat!

14. Est quoddam in referendo hoc Georgii Pray loco artificium. Itaque memoratus auctor ita loco c. loquitur: „Idem Hungari & Valachi provocant ad instrumentum S. Stephani Regis, in quo de suis immunitatibus agatur. „Quæsitum fuit per Sulzerum a Prayo, quid ipsi de hoc Stephani instrumento, ad quod Valachi plurimum Seculorum interjectu provocent, innotuerit, responsumque ab isto fuit: „Instrumentum hoc aut latere aut periisse, sibi nihil illius præterea visum, quam quod excitarit„ Itaque Sulzerus (l. c. p. 9) addit: dubitari posse, an ejusmodi litteræ Stephani ullæ unquam fuerint, aut si fuerint etiam, num non ad Blacos Nestoris, aut Bulgaros pertineant, quorum aliquos olim jam in Transsilvaniam venisse certum sit,

(15.) Natio hungarica eodem adhuc Sæculo, et anno,  
quo literæ hæ conventuales expeditae erant, tam cum Siculis  
suis popularibus, qui eodem tempore separatam nationem effi-

Sed heic quoque liberales nos præbebimus. Esto, scripserit sane Stephanus litteras quasdam Ungarorum Valachorumque gratia: at cuius quæsto argumenti? Ungaris et Valachis alienarum possessionam incolis, atque Episcopo Transsilvano, quod ad decimas adtinet, obnoxiiis (Cf. art. Comitiorum anni 1581 Approb. Const. P. II, tit. 10. art. 1.) immunitates quasdam, de ratione utique pendendarum aut aere redimendarum decimorum, qua de re litterae Monasterii loquuntur, contulit: an hoc facto Hungarorum Nationem universam, victricem Valachorum, Nationi Valachae armis edomitae aequavit? An Valachis jus civitatis Transsilvanae aut tribuit aut adfirmavit? Sed nempe error heic aliquis est abditus, ut vocant, *in supposito*, quem proxime explicabo.

15. *Natio Hungarica.* Ratiocinium libello supplici contentum istud est: Valachi eadem; qva Hungarorum aliqui immunitate fruebantur; jam vero Hungarorum natio jure civitatis in Transsilvania gaudet; item ergo & Valachi. Atque hic est error ille, quem paullo ante memoravi.

Equidem non dubito fore, quibus hoc, quod nunc dicam, paullo subtilius, insolens atque paradoxon videatur, jure publico Transsilvaniae nondum explicata satis tradito. Sed hos qvidem ipsos, si argumenta a me proferenda expenderint, facile nimurum mihi adsensuros confido. Ajo itaque Nationem Hungaram nequaquam Nationis suae respectu jure civitatis Transsilvanae gaudere, neque eo, quod si doceatur, esse quempiam Natione Hungarum, eundem civem esse Transsilvanum continuo intelligi. Idem quadam ratione de Siculorum Saxonumque natione adfirmo, atque, qvod passim dicitur: tres Transsilvaniae nationes civitatis jure gaudere: Hungarorum, Siculorum & Saxonum, nonnisi tropo aliquo dici, neque alio sensu capi posse, quam Status & Ordines Transsilvaniae Hominibus ad nationem Hungarorum, Siculorum aut Saxonum pertinentibus constare.

Nempe qui jure isto civitatis, atque adeo jure hoc singulari gaudeat, ut in publicorum consiliorum partem aut ipse per se se aut per homines

cere cooperant, quam etiam cum Saxonibus Seculo XII. in provinciam deductis inivit quidem particularem quandam unionem de

sui generis legatos venire posset, eum ex veteri regni Hungarici instituto aut nobilem aut certe ingenuum libertinque hominem esse oportet. At vero vetustissimus in ditionibus hungarieis mos fuit, ut, ubi hostis inguereret, circumlato undique cruento ense regni incolae ad capienda arma excirentur, atque ejusmodi in tempore qui officio suo defuisse, in Servitudinem traderentur. Cujus quidem moris in Transsilvania extremum, quod mihi compertum sit, Isabellae exemplum est, litteris Andreae de Bathor ad Thomam Nadasdium Curiae judicem anno 1550. scriptis expressum. *Ap. Pray Dij's.* 7. p. 128. Cf. Verböcz. P. I. t. 3.

Atque hoc praemitto eritne aliquis, qui existimet, Vngaros, apud quos virtus militaris maxime atque adeo unice in pretio fuerit, induci potuisse, ut ejusmodi homines, populares quidem suos, sed ob ignaviam servis adscriptos, in juriū suorum militari virtute partorum partem vere patarentur? Itaque quum Vnio illa, ut vocant, trium Nationum coalesceret, nequaquam Vngara *Natio*, Servos utique etiam complexa, sed ejus loco absque addito atque quasi *Kat' Eξοχην Nobiles* memorantur.

In vetustissimis hujus argumenti litteris Lorandi Lepes de Varaskezy Vicevajvodae Transsilvani nomine anno 1437 atque adeo eodem anno, quo supra memoratae Monasterii Monostoriensis litterae, exaratis habetur, ipsum Vicevaivodam cum regni *Nobilibus*, Saxonibus, Siculisque in oppidum Capolna convenisse, atque heic subditur: *inter praedictos Nobiles ac Saxones & Siculos talem fraternalm disposuimus unionem.* &c. In testimonio capituli Ecclesiae Albenis de inita Vnione anno 1459. feria secunda proxima ante festum B. Barbarae V. exarato nulla item Vngarorum memoria, atque tres unitae partes semper *Nobilium*, *Siculorum*, *Saxonumque* appellatione veniunt.

Sed vero & istorum & aliorum, quae comperta habeo, quorumque plura adeo autographa vidi, hujus generis documentorum, non facile omnibus copia suppetit: contra in promptu cuilibet sunt Approbatae constitutions Transsilvaniae, quarum P. III. tit. I. de Vnione ista agitur, &

de mutuo sibi invicem ferendo auxilio, quæ unio anno proxime subsecuto 1438. renovata fuit, docentibus id ipsum testimoniis

quamquam heic etiam universæ nationum fiat mentio: tamen ubi de singularibus Vnionis legibus sermo est, non *Vngari*, sed eorum loco *Nobiles personæ* et *Civitates Comitatuum* (quarum utique singulæ ex jure Hungarico singulas personas nobiles valent) memorantur.

Iam vero iidem, qui Vnionis hujus membra fuerint, neque alii unquam pro Statibus & Ordinibus Transsilvaniae suffragio in publico Provinciae confilio gaudentibus habiti fuere. Id uno atque altero exemplo ex Actis veterum comitiorum confirmemus.

„Anno 1557. I. Iun. Thordæ. Postquam fideles nostri, Universitatis trium Nationum Transsilvanie, Nobilium, Siculorum, Saxorum atque etiam Delegati e singulis comitatibus Regni nostri Hungariae ultra & eis Tibiscum praestantes viri, una cum Proceribus et Magnatibus ad mandatum nostrum (Isabellae) filiique nostri serenissimi, huc in oppidum nostrum Thordenfe convenissent.“ &c.

„Anno 1571. ad festum B. Elisabethae in Kolosvár. Nos Stephanus Báthori de Somlyó, Waivoda Transsilvanus & Siculorum Comes &c. Memoriæ commendamus per præsentes, quod Spectabiles, Magnifici Domini, Nobiles aliisque Ordines trium Nationum Transsilvanie et Hungariæ de Comitatibus Bihar, Kraßna & Szolnok mediocri, Maramaros, Zaránd & districtibus Káránsebes & Lugos exhibuerunt & præsentaverunt nobis infra scriptos articulos, in comitiis præsentibus eorum generalibus in civitate Kolosvariensi ad festum B. Elisabethae proxime præteritum celebratis, paribus eorum votis conclusos.“ &c.

Mirum jam videri possit, quid sit, quod cum Hungarorum Transsilvanorum non sit in his documentis explicata memoria, nisi qui eorum appellazione *Nobilium* contineantur, Siculi tamen semper Saxonesque universæ memorentur. Sed nempe sub initium seculi quinti decimi, ad quod prima illa initiae unionis instrumenta pertinent, atque adeo serius anno 1515. quo decretum tripartitum Iuris consuetudinarii Hungariae editum, etiamque anno 1552. quo Relatio Commisariorum Pauli Bornemisza & Georgii Verner ad Ferdinandum I. scripta est, Siculi omnes liberi, iis que juribus præediti fuere, quibus ii, qui solennibus regum litteris No-

niis Vice Vajvodæ ejusdem temporis *Lorandi - Lepes* desuper  
ex-

bilitate donati sunt, gauderent. Itaque Verböczius Siculos universe *Nobiles privilegiatos* adpellat Trip. P. III. tit. 4. & in memorata Relatione Siculi omnes Nobiles esse perhibentur; ( Benkő Milkov. t. I. p. 50 ) neque nisi decennio serius, anno 1562 quum Siculi tertii ordinis adversus Principem Ioannem Sigismundum arma cepissent, atque a Ladislao Radák profligati essent, Comitiis in civitate Segesvár habitis 29. Iunii, itemque Sigismundo Bathori Principe in comitiis Albensibus anno 1595. III. Decembr. celebratis decretum est, nt eorum pars aliqua, pristinis Siculorum juribus exuta, ad rusticorum statum redigeretur. Serius etiam Siculorum aliquos, ut se a militiae laboribus eximios praestarent, sua se libertate exuisse, atque in potestatem dominorum, ut vocant, *terrestrium* concessisse testis est lex Comitiorum anni 1608. ( Ap. Benkő Imago Sicul. p. 60. ) Ut proinde si antiquioribus litteris jus Civitatis Transsilvanae atque adeo pars potestatis *legislative* Siculorum nationi universe adscripta fuit, dubio locus tum quidem non fuerit, quin hi homines ingenui essent omnes ac liberi, qui hoc tanto jure pollerent.

Idem hoc respectu de Saxonum Natione judicium esto. Nam hos homines quidem fundi, ut vocant, regii incolas, semper pro ingenuis hominibus suis habitos cum alia innumera documenta, tum duplices ( ann. 1491 & 1510 ) Uladislai regis litterae mihi in autographo visae pervincent, quibus Saxones, ut item Nobiles Tripartiti P. I. tit. 4. *specialis ramus ac Membra sacrae Coronae & Regni Hungariae* adpellantur, itemque litterae Statuum & Ordinum regni Hungariae anno 1454. Varadini congregatorum ad Saxones septem Sedium Saxonicalium scriptæ, in quibus hæc inter alia: „*Fraternitates vestras hortamur, requirimus & quantum possumus, rogamus, quatenus juxta mandata & Litteras præfati Domini nostri Regis (Ladislai posth.) quatuor ex vobis vel quot ultra volueritis bonos viros ad prætactum quindecimum diem Budam cum pleno mandato mittere velitis, ut cum illis & aliis fratribus nostris congregandis tam præfato Domino nostro Regi respondere, quam de facto præacti generalis exercitus tractare & concludere valeamus.*“ Sane antem serius item factum, ut Saxonum aliqui, seu sua inertia seu temporum injuria ad incitas redacti, e Regione Sedium Saxonicalium egredi ad Comitatus atque

expeditis. (16)

Nec quidquam tamen obfuit illa juribus Nationis valachicæ regnicolaribus, imo fors hujus illo recte Seculo, quo unio memorata condita fuit, quam maxime florebat, etenim ex hujus Nationis sinu *Ioannis Corvinus Hunyades*, ad summos in Transsil.

etiam Siculorum Sedes desciscerent, dominis que illic terrestribus se Iobagionatu, ut vocant, obligarent. Cujus rei testes habemus articulos Comitiorum anno 1608. XXI. Sept. 1616. XVII. Apr. & 1618. XII. Apr. celebratorum.

Atque ex his pro rei dignitate breviter sed pro instituti ratione fortasse etiam uberiorius, quam necesse fuerit, historiæ jurisque nostri publici illustrandi gratia explicatis manifestum est, si quid judico, eum, qui jus civitatis Transsilvanæ sibi adserat, ex sensu veterum Transsilvaniae institutorum docere oportere, se aut Nobilibus hujus provinciæ adscriptum, aut Siculum pristinis hujus gentis juribus pollentem aut Saxonem Transsilvanum liberum esse. Ajo ex sensu veterum Transsilvaniae institutorum; nam de novo illo, neque ante quam anno 1542. in Vngaria cœpto atque in Transsilvaniam etiam deinceps translato *Indigenatu Extérorum* hoc loco nihil adtinet dicere, quum Valachi veteri nimirum usu eadem sua, quæ Vngarorum, in Transsilvania jura fuisse Schediasmate illo conventus Monostoriensis efficere contendant. (Cf. Tripart. Iur. Hung. tirocin. P. I. tit 6.) De iis, qui ex hac natione deinceps singulari Regum gratia nobilitatis jura adepti sunt, aut Saxonum juribus fruuntur, supra N. 1. dictum elt.

36. Litteræ Lorandi Lepes anni 1437. sic satis cognitæ sunt, aliae sequentis anni, quæ heic allegantur, non item. Gratiam itaque me ab historiophilis initurum spero, si easdem, cuicunque sunt, ex autographo, quod coram habeo, huc transcribam. Sed ad hæc iisdem litteris & id, quod paullo ante dixi de *Nobilium* appellatione in documentis ad Vnionem pertinentibus usitata illustratur, & cuius frugis fuerint homines illi, qui in possessionibus *Nobilium* atque adeo maxima parte in Comitatibus Transsilvaniae degebant, de quibus litteræ illæ Monostorienses sonant, elu-

silvania honores primum promotus, deinde ad supremi in Hungaria belli Ducis, ac Gubernatoris munus evectus; ejus vero immortalis filius *Mathias* ad ipsum Regni solium exaltatus fuit, atque ut alios Transsilvaniæ Vajvodas hujus Nationis populares silentio præterire liceat, *Ioannes Getzi*, ex cuius familia adhucdum nonnulli nobiles Valachi in Comitatu Dobocensi superesse dicuntur, sublime Gubernatoris in Transsilvania, Stephanus vero *Iosika* (testante ipso Wolffzango Bethlen Historico) origine, ac natione valachus eminens Cancellarii Munus, sub Principe Sigismundo Bathori, circa finem Seculi XVI. magna cum lau-

cescit. Itaque litteræ ipsæ sigillo annulari cum perigraphe *Sigillum Lorandi* munitæ ita habent.

„Nos Lorandus Lepes de Varaskezy Vicevaivoda Transsilvanus memoria commendamus per præsentes, quod eum præteritis diebus videlicet circa festum sanctæ crucis in possessione Capolna vocata una cum Baronibus & Nobilibus nec non Saxonibus potioribus septem Sedium Saxonicalium & Siculorum dictæ partis Transsilvanae fuissemus congregati, inter cetera tractantes, uti protervia & rebelliones nefandissimorum Rusticorum contritione & eradicatione — — sicuti contra insultus Turcorum saevissimorum has defensare partes, coram nobis & Baronibus universi Nobiles & Saxones — — inter se ipsos talem fecerant unionem & fraternitatem, quod dum & quando casu contingente præfati Turci has invadere, subintrare conarentur — — partes, tunc præfati Nobiles in Suecurs — ante nominatorum Saxonum mutuæque sinceræ unionis fraternitat — venire & accelerare deberent & tenerentur. Prædicti etiam Saxones contra æmulos seu inimicos Nobilium signanter autem ad conterendam prædictorum nefandissimorum rusticorum proterviam venire & accelerare deberent & tenerentur, ad quod se partes sponte obliga — — juramento coram nobis. Præscripti vero Nobiles & Saxones præteritis diebus Thordæ in generali congregatione nostra videlicet in festo purificationis Virginis gloriose nunc præterito præmissam dispositionem & ordinationem ipsorum nec non unionem fraterniter confirmarunt coram nobis

Iaude obiverunt. Circa medium vero ejusdem Seculi *Nicolaus Olabus* parentibus æque valachis natus Cibinii, Archiepiscopi in Hungaria Strigoniensis, et Regni Cancellarii dignitate eminebat, ejus vero frater *Mathæus* hæreditario Iudicis Regii Sedis in Transsilvania Szásváros officio fungebatur. (17) Nec occultabant summi hi in Republica tam hungarica, quam Transsilvana viri suam de gente valachorum originem; imo Corvinus uterque testibus Bonfinio & Lucio Dalmata se cum sua Natione a Romanorum Coloniis ortum ducere gloriabatur. Insuper testatur Ferdinandus I. Imperator tam Corvinorum, quam supradicti Archi-Praefulis Strigonensis, & sui Cancellarii de gente valacha Romanorum Sobole ortum, dum in Diplomate familiæ memorati Archi-Episcopi 23. novembris 1548. collato his semet exprimit verbis: *Hæ vero sunt omnes propemodum laudatissimarum gentium origines, inter quas Valachi gentiles Tui; minime postremas habent,*

d

ut-

VIII

---

hærum nostrarum testimonio litterarum. Datum Thordæ — in festo B. Dorotheæ Virg. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo octavo.“

(L.S.)

His litteris cum Schediasmate Monoftorienſi contextis facile nimirum etiam concedi posset, Valachos rusticos alienarum in ea regione possessionum incolas jam tum immunitates exaggeratas, quasi sibi debitas flagitasse: sed hoc, ut verbis Vicevaivodæ utamur, non jus, sed *nefandissimorum rusticorum protervia* fuit.

17. Iam hoc quidem nimium est, singularibus quorundam hominum exemplis, iisque sane ambiguis, ad jura nationi integræ adserenda abuti. Sane ita & Bohemos & Bavaros, & Gallos, & Polonos, e quorum nationibus Reges nacti fuimus, quin Græcorum, Hispanorum, Hismahelitarum seu Saracenorum, Bessorum, Armenorumque nationes pro civibus Transsilvanis habebimus, quoniam harum gentium homines aliquos antiquissimis jam temporibus Nobilitatis Hungaræ jura consequutos Thuroczius testa-

*ut pote quos ab ipsa rerum Domina Urbe Romana oriundos constat : unde nunc quoque sua lingua Romani vocantur , tua ista gens fortitudine præpollens fuit ; multorum præstantissimorum Ducum Genitrix , inter quos & Ioannes Hunyades Incliti Mathiae Regis Pater , et illius aetati proximi majores Tui potissimum enituisse feruntur.* (18) ~~Ex~~

Post initiam Annis 1437. & 1438 inter Hungaros , Siculos , & Saxones unionem , gens valachica hos sublimes viros , atque alios multos de Patria bene meritos produxit , qui liberis statuum ordinumque suffragiis ad quæque etiam summa munera & dignitates electi et elevati fuerunt , ita ut per omnia retro lapsa Sæcula usque ad XVII gens valachica aequa ac reliqui cives omnibus juribus regnolaribus constanter gauderet , (19.) neque uspiam

---

tur Chron. P. II. c. 22. & illustres diversarum gentium viros præcipuis Regni muneribus excultos historiarum fide discimus . Sed nempe & isti & Valachorum etiam aliqui singulari regum regnique gratia in censum Nobilium cooptati utique iisdem , quod ad ipsorum personas adtineret , quibus ceteri Nobiles , juribus pollebant .

18. Non existimo fore quemquam , qui his diplomatis Ferdinandi verbis de Romana Valachorum origine vim aliquam singularem in re ita remota inesse , iisdemque rem omnem plane confectam arbitretur . Profecto quæ sit ejusmodi Sententiarum diplomatis insertarum vis ad fidem historiæ conciliandam , perspicuo exemplo illustrat Pray Dissertatione IV. p. 75. „ Legi diploma , inquit , ut magis monstrala taceam , anni 1213 , in quo Andreas rex quamdam familiam ex Attilz descendere affirmat illis verbis : *Sicut nobis relatum est.*“

19. Qua fide , quove argumento dici posset , Valachos ad Seculum usque septimum decimum iisdem omnibus , quibus ceteri Regni incolæ , juribus cum civilibus tum religiosis gavilos fuisse , non pervideo . Sed videlicet definiri hæc jura ante ab auctore libelli supplicis oportebat , quam di-

am vel minimum præfata unio Iuribus Valachicæ gentis civilibus aut nocuit, aut initio nocere tentavit. (20.)

Interim reformatione Ecclesiæ occidentalis per Calvinum, Lutherum, & Socinum cæpta Sæculo adhuc XVI in Transsilvania quoque magnos progressus faciente, & hoc modo Scissione Incolarum Hungarorum, Siculorum, & Saxonum, quoad Religionem in quatuor partes, utpote R. Catholicam, Calvinianoreformatam, Evangelico Lutheranam, et Sociniano unitariam facta

d 2

crea-

sputationem ingredetur. At vero ego, neque (quod unum esse ex præcipuis verorum civium Transsilvanorum indiciis non longe ab initio hujus scripti jam dixi) neque, inquam, ad publica provinciæ consilia adhibitos Valachos lego, nisi si qui eorum jam nobilitate donati, ut item alii aliarum exterarum gentium homines, nobilibus Hungariorum accensi sunt, neque quum eorum nomine, qui provinciæ Status & Ordines essent, scriptum aliquod exaratum est, memoriam uspiam Valachorum reperio. In promptu habeo archetypum litterarum Ferdinandi I. in nova Civitate Austriae die convers. B. Pauli Apost. anno 1541. scriptarum, quarum ingressus id, quod commodum dixi, confirmat.

„Nos Ferdinandus cet. Memoriæ commendamus per præsentes, quod cum his diebus fideles nostri spectabiles ac magnifici Vaivodæ ac Siculo-rum Comites & universitas Nobilium ac trium generum Siculorum ad nos misissent fidelem nostrum egregium Martinum de Gherend specialem eorum nuntium, nobisque oblatam fidelitatem eorum erga nostram Majestatem ac sacram Regni Hungariae coronam aperte declarandam curassent, ac nominibus suis libertatem privilegiaque eorum ac tertiae etiam nationis Saxonum nostrorum tam Statum publicum quam privatas & singulares personas concernentia a nobis confirmari optassent & supplicassent, utque Regnum illud & partes illas Transsilvanas tam a domesticis quam externis hostiibus deferendemus.“ &c.

20. Quid autem; si quis ita arguat? Posterioribus temporibus non sive gavilam nationem Valachorum jure civitatis Transsilvanæ apertum est;

creati fuerunt plures in statuum & ordinum publicis conventibus Articuli, quibus de securitate harum Partium in religione disidentium prospiciebatur, atque omnes quatuor religiones, quas divisi pro illarum diversitate in quatuor partes, Hungari Siculi & Saxones profitebantur, medio eorumdem Articulorum pro Lege receptis declaratae prout id ipsum Approbatæ Regni Constitutiones Ius fu et approbatione Principis Georgii Rakotzi ex Articulis Diaetalibus ab anno 1540 usque ad 1633. Approb. Partis 1. Tit. 1. Art. 2. luculenter docent. (21.)

ne

---

neque vero tempore initæ inter ceteras nationes unionis hoc jure privatos fuisse Valachos constat; nihil ergo supereft, quam ut dicamus, eos neque ante hanc unionem inde a temporibus edomitæ per Hungaros Transsilvaniæ hoc jure fuisse præditos.

21. Evidem quod ad religionem adtinet, ut multa possim dicere, tamen paucissimis absolvam. Quamquam enim vel inter homines philosophos quæri possit, num ii fructus, qui aliquomodo e diversitate Religionum efflorescunt, pares sint, quod ad felicitatem Status publici adtinet, iis incommodis, quæ inidem fabnasci historiæ omnium populorum docent, atque adeo num ad sapientiam politicam pertineat, novis Religionibus aditum in provinciam aliquam patefacere; tamen ubi jam diversæ Religiones inter multos provinciæ incolas invaluere, modo cetera tranquillitatis publicæ ratio habeatur, opinionibus hominum vim facere conari calsus labor est & inhumanus. Itaque mihi semper historia Patriæ meæ id gloriandum habere visa fuit, quod iisdem temporibus, quum aliae provinciæ, religiosis opinionibus faces subjicientibus, civilibus bellis flagrarent, in Transsilvania quatuor diversarum religionum alumni liberam suis ritibus Deum colendi potestatem adepti, amicas, si publica statuum decreta adtendas, dexteræ junxerint.

Iam quod ad Valachorum Religionem proprius adtinet, si qui eorum uniti Catholicis fuere, eos iisdem utique semper juribus frui par erat, queis Catholicí utebantur. Ceteri — Sed utique non quid fieri oportuerit, sed quid factum sit, hoc loco quæreritur. Atque ego quidem unum

Nulla tamen in his articulis de Ecclesia Graeca orientali, cui Gens Valachorum a tempore suae ad Christum conversionis addicta fuit, mentio facta erat, sed nec illa fieri debebat, nec poterat, cum articuli illi solas Religiones per Reformationem Ecclesiae latinae in Transsilvania enatas pro objecto habebant, mansit ergo Ecclesia Graeca Orientalis in Transsilvania seu gens potius valachorum eidem addicta, qvoad Religionem qvoque in eodem Statu in qvo ante conditos hos articulos reperiebatur, in liberissimo scilicet suae Religionis exercitio & usu omnium jurium cum eodem conjunctorum. (22.) Quod ipsum etiam literæ collationes Isabellæ Reginæ super Episcopatu Græci ritus F. Gyogyiensis Reverendo Viro Christophoro cum omnibus ejusdem Episcopatus pertinentiis, Proventibus, & emolumentis colliato anno 1557 dum jam Episcopatus Latinus Albenis Iublatus, omnia ejus Bona, Pertinentiae & Proventus Fisco addicti erat, emanatae,

---

istud, quod se mihi hæc scribenti sub manum dedit, examinandum offero. Supra jam vidimus, & ex legibus nostris patriis doceri potest, Valachos Seculo quinto decimo itemque longe serius pendendis decimis fuisse obnoxios: quum tamen Uladislaum decreto II. anno 1495. artic. 45. statuimus legamus, ut Valachi ecclesiæ Romanæ non uniti a præstandis decimis immunes essent. Sed his, ut dixi, non immorabor.

22. Approbatarum Constitutionum P. I. tit. I. art. 2. ubi quatuor religiones receptæ declarantur, nulla etiam facta est mentio Religionis Iudeorum, quos nihilominus jam Decebalii ætate atque adeo ante Romanos (P. Historia de Ortu & Progressu var. in Dac. gent. ac Rel.) majorique adeo frequentia sub medium Seculi quinti decimi in Transsilvaniam venisse perhibent; anne igitur Iudei arguant, religionem iplorum in Transsilvania lege receptam?

Adeone autem incurios lectores suos putavit fore auctor libelli suppli-  
cis, ut eos locum ipsum approbatarum constitutionum non adituros spe-  
xaret? Sane is, qui allegatum proxime sequitur, articulus tertius iis re-

tae, & per cl: Benkő in opere suo de Milkovia §, 145. Lit. C. promulgatae satis probant. (23.)

Sed mutata fuit favens ista Sors Gentis valachicae tam quoad civilem ejus statum, quam quoad Ecclesiasticum Seculo proximo praeterlapso XVII. postquam nempe Hungari, Siculi, & Saxones Unionem jam annis 1437. & 1438 initam anno 1613 1630. & 1649. renovarunt, & tam conditiones hujus unionis quam Articulos supra dicto modo in favorem quatuor Religio-num, quas ipsi hoc in puncto inter se met ipsos divisi profiteban-tur, conditos collectioni Legum ab anno 1540. latarum, seu approbatis constitutionibus inseri curaverunt; inserta enim fuerunt huic Legum Collectioni seu Approbatis Constitutionibus sequen-tia etiam Nationi, & Religioni valachorum in Provincia Lega-

lem

---

ligionibus, quae ab illis quatuor receptis diversæ essent, manifeste fræ-num injicit, idque *sub poena notæ infidelitatis*, allegato in ejus confirmationem decreto Comitiorum anno 1576 atque adeo ante Seculum XVII. (Cf Not 19.) habitorum.

Evidem Proceres Transsilvaniæ se nihilominus & Valachorum & Iu-dæorum ( Sabbathariorum alia ratio fuit) religionibus benigniores præbu-isse, neque earum asseculis multum molestiæ creavisse, facile largiar: sed nempe hoc ad commendationem moderationis procerum in religionis ar-gumento, non ad jus seu Valachorum seu Iudæorum declarandum valet.

23. De Episcopatu *Fel-Diod*, aut pro moderno usu *Fel-Gyögy* nihil habeo, quod dicam; nam neque in Wolfgangi Bethlen historia eorum temporum locupletissima ullum ejus vestigium, cuius meminerim, neque a quoquam proditum legi, unde litteræ hæ, quæ proferuntur Isabellæ deponitæ, atque adeo ejus auctoritatis sint. Ceterum Iosepho Benkő facile adsen-tior, *Episcopatus* vocabulo Cœnobiorum Græcorum præfecturam intelli-gendam esse, præfertim quum id & etymologiæ græcæ & vero mori græ-corum respondeat.

30

Iem existentiam, a Sæculis habentium (24.) summe noxia, & præjudicioſa, utpote Approb. Conſt. P. 1. Tit. 8. art. 1. *Quamvis valachica Natio in Regno inter Status reputata non sit, nibilominus tamen donec propter Emolumentum Regni tolerabuntur, sequentia Ecclesiastici obſervabunt:*

Partis 1mæ. Tit. 9. Art. 1. *Quamvis Natio Valachica in Regno propter Bonum Publicum admissa sit, cum tamen ipſa vilem ſuum ſtatutum non conſiderando &c.*

Partis 3tiæ Tit. 1. Art. 1. *E tribus Nationibus conſidente Regno (ſervatis Regni conſtitutionibus) ſi aliqua Natio in ſuis Libertatibus, Privilegiis, Conſuetudinibus lœderetur, teneantur reliquæ &c.*

Partis 3tiæ Tit. 53. Art. 1. *Prout Religio Nationis Valachicæ e quatuor Receptis non eſt, ita nec ordo Religiosus &c.*

Qualiter vero iſta Collectioni Legum inseri potuerint, perſpicci haud poteſt. (25.) Nam Collectio hæc teſtante ejus Praefatio-

---

24. *Legalem existentiam a Sæculis habentium.* Satis magnifice, modo vere! ſed nempe oſtenſum jam ſatis eſt, qualemnam existentiam Valachi in Transſilvania habuerint, eam nempe; quæ gratia victoris Ungari niteretur,

25. *perſpicci haud poteſt.* At vero ex iis, quæ a nobis in commentariis iſis dicta ſunt, facile nimirum perſpicci poteſt. Quid enim? An singularibus ſtatutis opus fuit, quibus declararetur, Valachos populi legibus vivere, neque hanc nationem in partem potefati legislativæ venturam? An nationibus, religionibusque receptis explicite deſcriptis ceteras, quæ hoc jure non gaudeant, Iudeorum, Valachorum, feriusque aliorum etiam dominatim recenſeri oportuit?

tione et Approbatione, nonnisi e Decretis et Articulis Diætali-  
bus ab Anno 1540 quo Transilvania ab Hungaria separata  
fuit ad Annum usque 1653. conditis institui et conflari poterat,  
nullus vero exstat ab Anno 1540. usque 1653. conditus, eo  
minus antiquior Articulus aliquis Diætalis, qui positive statuis-  
set: Nationem Valachicam non esse inter Status reputandam; nec  
ejus Religionem inter receptas, sed hanc & illam propter Bonum tan-  
tum Publicum in Provincia admittendam.

Deficiente ejusmodi positiva Lege, concludi ergo debet er-  
rore solum vel incuria compilatorum inserta illa seu additamen-  
ta in collectionem irreplisse; an vero etiam nocendi animus ul-  
lum hac in parte influxum habuerit? non est supplicantis natio-  
nis discutere, illud interim certum est occurrere quasdam in col-  
lectione expressiones, quæ odium potius, quam Amorem com-  
pilerorum erga nationem Valachicam non obscure indicant. (26)

Exem-

26. *Odium potius quam amorem.* Evidem odium non existimo, quia indignum Nobilibus Liberisque: contemtum non negaverim, quem nempe verba allegata indicant: *quum tamen Valachica natio vilis status sui rationem non habens.*

Ceterum etsi indignationis ejusdam adversus Valachos indicia repere-  
rimus, eam non fuisse iniquam, multis nimirum, quæ præsto sunt, veteribus documentis doceri potest. Approbatarum Constit. P. III. t. 5.  
art. 1. quum præmissum esset, Valachos in quibusdam locis ad hoc tem-  
pus a præstandis decimis immunes fuisse, subditur; hanc ipsos gratiam adeo moribus suis non mereri, ut in dies potius prava sua facinora cu-  
mulent, multis in locis eis ipsis nationibus, in quarum fundis degunt, vim prope manifestam adferentes. Locus ipse ita habet; *Melyben való kedvezést magok viselésével nem hogy érdemlenének, de söt naponként árad rosz tse- sekedetek: söt sok ballyeken maidnyitván való érőszakkal élnek a' több nemzetekén és azoknak batáriib.* At in promtu etiam habeo sic satis multas ex auto-

Exemplo sit Expressio præcitata P. 1 .tit. 9. Art 1. occurens: *cum tamen ipsa (Natio Valachica) vilem suum statum non considerando.*

Interim seu errore, vel incuria, seu animo nocendi inser-  
ta fuerint præadducta additamenta Legum collectioni, infertio  
e  
tamen

graphis ipsis descriptas Regum Principumque litteras, ex quibus de mori-  
bus Valachorum fieri judicium possit. Verum quoniam homines obno-  
xios, atque injuriam sibi allatam vindicantes ad quidlibet audendum pro-  
jectos esse, atque utcunque enormia flagitia patrare minus nempe miran-  
dum, supersedeo iis referendis, quæ ad posteriora tempora, quum se-  
nempe juribus suis pristinis exutos fuisse queruntur, pertinent, atque ali-  
quas modo eorum adeo temporum litteras deligam, quibus se Valachi  
in pleno juriuum suorum usu fuisse adfirmant.

Ac primum huc pertinet illud de *nefandissimorum rusticorum protervia* ex  
litteris Vicevaivodæ Lorandi Lepes N. 16. Sed illic Valachi nominatiū  
non leguntur, tametsi cetera hos potissimum colonos Nobilium in Comita-  
tibus degentium fuisse, de quibus sermo est in iis litteris, dubitari non  
possit. At vero eodem Seculo quinto decimo, quo Valachorum res ex  
fide Schediasmatis Monostorienſis florentes fuisse perhibentur, folium  
Ungariae obtinuit Uladislaus Rex, atque hujus quatuor omnino litteras  
ex autographis descripsi ad Valachos pertinentes. Eiusdem prope sunt  
omnes sententiæ, itaque easdem in summa proferre sat est.

Litteris Budæ Dominica *Invocavit* anno 1498 ad Barthol. Draghi Vai-  
vodam Trans. exaratis præmittit Uladislaus, expositum sibi fuisse de fur-  
tis, incendiis, homicidiis per Valachos patratis, item que hoc singula-  
re, quod si de quopiam Valachorum scelerum supplicium sumtum fit,  
alios Valachos stupa aliisque ignis alimentis instructos ad eum locum, in  
quo supplicium sumtum fuerit, accedere solitos, atque extrema quæque  
intentare, nisi loci incolæ mortem interemti Valachi pecunia redimerent,  
tum subdit: „Quia vero nostri interest providere, ut hujusmodi malefa-  
ctorum & nocivorum hominum temeritati & audaciae occurratur, & ce-  
teri exinde exemplum sumnentes a talismodi maleficiis reprimantur,

tamen ea cum præcautione facta est, ut additamenta non Stilo directo, & in forma legalis Statuti Approbatis inferantur (quia id sine citatione Articuli, in quo illa fundarentur, qui tamen nunquam exstitit, (27.) fieri haud potuisset, sed pér modum duntaxat præambuli aliis legalibus Statutis Collectioni insertis medio particularum conjunctivarum *quamvis*, *cum*, præmitte-rentur.

Etsi vero talia præmissa nisi legali cuidam fundamento innitantur, nullum vigorem habere soleant, ista tamen apud com-plures

volumus & fidelitati Vestræ serie præsentium strictissime mandamus, ut postquam cum præsentibus fueritis requisiti, continuo ubique in partibus illis Transsilvanis palam faciatis proclamari, ut ubicunque & in quorumcunque bonis hujusmodi *Valachi* furto, incendio & homicidio minas imponentes reperti fuerint, tales continuo captivare & juxta eorum demerita & excelsus cum omnibus hujusmodi Sceler — eorum participibus jure & iustitia mediante convictis poena condigna afficiatis.“ —

Eiusdem argumenti sunt alteræ litteræ Petro Comiti de Bozyn & S. Georgio Vaivodæ anno eodem festo B. Silvestri Papæ, itemque aliæ anno 1503 feria secunda proxima post festum circumcisio[n]is Domini *Castellani* castri *Fogaras* ac denique aliæ anno 1511 *Ioanni Zápolya* Vaivodæ scriptæ, in quarum extremis proposita querela adversus Valachos quasi denique pertæsus Rex eadem ab se iterum iterumque mandata dari debere, atque haud obscure culpam aliquam in magistratus suos conferens, qui hominibus his flagitiis in ordinem redigendis non eam, quam rei gravitas posceret, operam adhiberent, ait: „*Miramur, unde tanta licentia illis pefsimis hominibus (Valachis) sit concessa.*

27. *Qui tamen nunquam exstitit.* Quum nempe de re in vulgus nota nulla nova lege opus fuisset. Sane qui ingenium Valachorum nostrorum moresque perspectos habeat, numerum deinde eorum in Transsilvania adtentat, haud sibi persuaserit, eos, si repente ita juribus suis avitis exturbati fuissent, hanc injuriam sine cædibus atque incendiis fuisse paſſuros.

plures Patriæ Cives talem invenerunt successum, ut mox opinio, quod Natio & Religio Valachorum in Principatu tantum tolerata sit, fere universaliter stabilita et ad exteris usque gentes propagata fuerit.

Ad occurendum igitur Opinionis huic attactis duntaxat præmissis omni fundamento destitutis innixæ sequentes quoad illa facienda veniunt reflexiones ex ipsis Legibus, et Patriæ Historiæ depromptæ.

Dicitur in iisdem præmissis: *quamvis Natio Valachica inter Status non sit reputata, sed in regno tantum propter Bonum publicum admissa.* Quam alienum sit a vero suppositum, quod Natio Valachica inter Status non sit reputata, docent authenticæ illæ superius adductæ Literæ Conventus B. Mariæ Virginis de Kolosmonostrâ A. 1437 emanatæ, in quibus expresse dicitur: *Universitas Regnicolarum Hungarorum & Valachorum in partibus Transsilvanis* (28) imo probat authenticum hoc Documentum evidenter tempore, quo illud emanavit, Status Provinciæ seu Universitatem Regnicolarum Hungarorum duntaxat, & Valachorum Nationibus constitisse, & cum nulla possit adduci posterior Lex, quæ positive statuisset, Valachicam Nationem non esse inter status, &

28. *Docent Litteræ.* Litteræ hæ, ut supra N. 13. examinantibus adparuit, de ejusmodi regni incolis sonant, qui in aliorum ipsoſſionibus commorabantur. Miseram profecto præ omnibus, quæ sunt in Europa ptovinciis Transsilvaniam, si hominum inquilinorum, quorum sedes in dies certa non sit, consiliis regitur; si leges ab iis accipit; si his hominibus, queis salus provinciæ, cuius ipsi nullam partem, neque eam adeo, in qua vi- tam agunt, propriam teneant, ita parum cordi sit, pro statibus & ordi- nibus regni utitur! Sed quod faustum sit, fuit id semper, estque in hunc diem longe fecus.

Regnicolas reputandam; in propatulo est, suppositum adductarum Præmissarum omni plane destitui fundamento. (29)

Quid sibi velit Additamentum illud: *Quod Natio Valachica in Regno tantum propter bonum publicum sit admissa perspici haud potest*, cum id de quavis alia Natione dici possit, ac debeat. (30) Cæterum terminus *admissa* non cadit in Nationem Valachicam omnino.

29. Iam mihi quidem eandem cramben, ne forma quidem variata, iterum iterumque regeſtam, atque tantam verborum copiam, rerum inanitatem intuenti tædium incessit ita, ut ægre me contineam, quin tollam manum de tabula, quum nondum etiam dimidium libelli supplicis transierim, neque deinceps aliud, quam Belæ Notarii de Tuhutumo narrationem & Schediasma illud Monostoriense obtrudi identidem recantarique videam. Quid est reliquum confilii, nisi abuti & meo & lectorum otio velim, qvam ut ad ea, quæ supersunt, tribus quandoque verbis aliqua adjuagam? Quid enim ad hunc ipsum locum libelli supplicis, in quo nunc admodum verlor, refellendum litteras plures vetustissimas de Congregationibus statuum Transsilvaniæ Thordæ celebrari solitis, aut Regum Procerumque litteras, quibus Status Transsilvaniæ, nulla unquam Valachorum memoria, ad Comitia invitantur, proferam? Sane hujus argumenti literas autographas & ipse multas vidi, & alias ab Ill. D. Antonio Szeredaj in Serie Episcoporum Trans. ex tabulario capituli A. Carolinensis editas legi: sed has quidem si omnes proferam, jam me sensatus quisque derideat, qui arcem istam, in quam se Valachi, alterius præsidii inopes, iterum iterumque conjectant, ita jam prioribus argumentis labefactam, tanto apparatu, ut heros ille hispanus romanensium fabularum mulam pneumaticam, aggrediar.
20. *De quavis alia natione dici possit.* Itane? *Admissos* dixeris Vngaros, qui uno prælio Valachos profligarint? Sentio sane quam qui maxime æsthefin hac repetitione rei præsertim odiosæ violati: Sed nempe prioribus ab auctore libelli iterum iterumque regeſtis eadem nobis etiam chorda oberrandum,

mnibus Provinciæ Nationibus multo antiquorem; majori cum fundamento tribui potest ille reliquis Nationibus, quas multo tardius, quam Valachicam in Principatum venisse & seu Pactis conventionis, (31) seu Privilegiis Principum ad Incolatum, Iuraque Civitatis admissas fuisse Historia Patriæ Principumque Diplomatæ docent.

Valachos certe multis antequam Hungari venissent sæculis Transsilvanicas Partes coluisse tam Patriæ, quam Romana Historia docent, & dum illi amissio in pugna proprio Duce *Gelou* Hungaris non amplius restiterunt, sed potius illorum Ducem *Tubutum* in suum etiam Dominum propria sponte dextram dantes elegerunt, admiserunt hoc facto Hungaros sua sponte ad Coincolatum, ad Concivilitatem & ad communionem jurium Regnicolarium. Contenti fuerunt Hungari hocce Valachorum libero & spontaneo agendi modo, atque utraque gens in Concivilitate & Communione juriū suam invenit felicitatem, quam ulteriori aleæ Belli, cuius incertum exitum utraque præmetuere debebat, committere noluit. Non obscure hinc prodeunt Pacta conventa utriusque Nationis Anonymi etiam Belæ Regis Notarii Verbis: *propria voluntate dextram dantes Valachi in suum etiam Dominum elegerunt Hungarorum Ducem Tubutum indicata.* (32)

TAXO-

31. *Pactis conventis.* Ita nimirum id temporis ingenium erat Hungarorum, ut cum hominibus ignavis, resistendo imparibus, nisi si forte de vitæ gratia victis, in potestatem redactis atque supplicibus donanda, quod factum a Tuhutumo credi potest, depacifcerentur!

32. Quam sit suspeetæ fidei universa hæc Notarii narratio, supra N. 11. ex Prayo docui: Sed hoc etiam insuper habito si quis narrationem ipsam hujus Notarii legerit, si Tuhutumum acquirendæ sibi terra gratia expeditiōnem suscepisse, si Blasios illos (sic enim c. 25 nominat) viliores homines

Saxones (33) Sæculo XII. Armenos, & Bulgaros Sæculo XVII. in Transsilvanas partes venisse, & *admissionem* obtinuisse, præter Historiam Privilegia & Diplomata Principum testantur.

Restant adhuc Germani Patriæ Cives, qui circa finem præfertim Sæculi XVII. cum exercitu divi Cæsaris Leopoldi Historia pariter testante in Provinciam venerunt, & *admissionem* eodem plane modo, quo Hungari circa finem Sæculi IX. advenientes obtinuerunt. Submisere nempe semet status Transsilvaniæ circa finem XVII. Sæculi propria sponte Imperio Domus Austriacæ Exercitu Cæsareo in Provincia existente prout semet Valachi circa finem Sæculi IX. Hungarorum tum advenientium Duci *Tubutum* sua propria voluntate ipsum etiam in suum Dominum data dextra eligendo submiserunt, & ita prout Hungari sub Tuhutum Duce in Conci-

---

*totius mundi*, si ducem Gelou imbellem atque militibus ignavis stipatum, qui non auderent stare contra audaciam Hungarorum, si uno prælio profligatos, cæsos aut captos Blacos, ducem in fugam actum, imperfectum, atque ceteros incolas pavidos, ducisque nece trepidos, victoriæ natura insolentis & superbæ vim veritos fidem suam victori duci Vngaro Sacramenti religione obligasse atque in ejus dominium concessisse, Tuhutum demique deinceps *terræ illam tenuisse*, hæc inquam si quis legerit, contra autem Valachos magnifice de se prædicare videat, eorum gratia atque beneficio Hungaros *ad coincolatum, ad concivilitatem & ad communionem jurium regnicolavium admisso*, neque tamen insolentia hominum reique indignitate commoveatur, hunc ego hominem præ me apahlen else confitebor.

33. Saxones *admissos* esse item proprium verbum non est, nam *vocatos* fuisse a Geysa in hanc provinciam Teutonicos hospites ait Andreas in II. diplomate anni 1224. Sed istuc heic loci parum refert.

Concivilitatem Valachorum, ita Germani sub Leopoldo Cæsare in Concivilitatem reliquorum Transsilvaniæ Civium admissi fuerunt. (34)

Dicitur præterea in præadductis additamentis: *Nibilominus tamen donec illæ (Ratio & Religio Valachorum) propter emolumen-tum Regni tolerabuntur &c. &c.*, Evidem de reliquis etiam Nationibus & Religionibus id ipsum dici potest, quod nimirum propter

34. At vero istud jam supra captum est, homines hujus provinciæ incolas, ita penitus rerum, quæ ad patriam adtineant, rudes esse. Atque hos nimirum homines, qui res Patriæ tam parum sua referre putent, pro Statibus & Ordinibus Regni habuerimus? Vndenam, quæso, arcana hæc tibi, mi bone, Scientia de Germanis universe seculo septimo decimo civitate Transsilvana donatis? Sane Transsilvania nequaquam armis subacta victoris Germani leges accepit, atque docere mihi promtum est ex litteris Ferdinandi I. autographis supra N. 19. memoratis: seculo sexto decimo faciliores fuisse Germanis ad firmam in Transsilvania sedem figendam, capiendaque munera publica aditus, quam Leopoldi I. temporibus, quibus nimirum districte cautum est, ne exteris, id est quibusvis aliis, quam *indigenis Transsilvanis, Hungarvis nempe Siculis & Saxonibus* gerenda munia publica ad *Politiam, Iustitiam vel Oeconomiam administrandam* pertinencia crederentur. (Diplom. Leopold. I. 1691. 4. Decembr. & Resolut. Alvincz. 1693. Num. 6.)

Atque hæc quidem apud nos adeo vulgata, ut quæ in libello hoc supplici præfertur, adsimulata mihi ad faciendum imperitis fucum, & fortasse ad aucupandam hac assentiatiuncula quorundam hominum gratiam, ruditas videatur. Nam si eadem sit Germanorum apud nos respectu pri-  
flinorum Transsilvaniæ incolarum ratio, quæ olim Hungaræ nationis respectu Valachorum fuit, sane Hungaros nonnisi beneficio Valachorum hac in provincia degere, neque nisi ipsi Valachorum se nationi adscribi patiantur, pro civibus Transsilvanis haberi posse, luculentum est. Quo qui-dem nihil me, dum vivo, memini audiisse nedum insolentius.

pter emolumenntum Regni tolerentur; (35) nam si non tolerarentur, vel emigrationes vel dissidia & tumultus in summum Provinciæ detrimentum sequerentur. In quantum vero terminus *tolerari* juxta modernum Curiæ stilum idem significat, ac legali existentia destrui, in tantum ille nec Nationi, nec Religioni Valachorum applicabilis est, cum ex prædictis certum sit, & Nationem & Religionem hanc in Provincia antiquissimam esse, & Regnicolaribus Iuribus illam, hanc vero publico liberrimo Exercitio gavisam fuisse, nec ullam Legem existere, quæ seu Nationem, seu Ecclesiam Valachorum Iuribus suis, consequenter legali Existentia privasset, & pro tolerata declarasset. Nec obstat, quod Religio Valachorum inter illas Religiones, quæ Appr. Conf. Part. 1mæ T. 1m. Art. 2. *receptæ* nominantur, haud specificetur: etenim illi ipsi Articuli Diætales antiqui, e quibus citata lex approbatalis conflata fuit, evidenter probant, illorum objectum illas duntaxat Religiones fuisse, quæ antea in Provincia vel non exstiterunt, sed primo Sæculo XVII. illuc penetrarunt, quales sunt Reformata, Evangelico Lutherana, & Unitaria; vel quæ antea exstiterunt quidem sed postmodum Lege publica in libero Exercitio Iuribusque præhabitatis turbatae & pæne extirpatæ fuerunt, qualis erat Religio R. Catholica. Valachorum Religio nec ad harum nec ad illarum seriem pertinebat, proinde nec erat objectum dictorum articulorum, e quibus citata Lex Approbatalis conflata fuit; non poterat ergo in Lege ipsa men-

- 
35. *Tolerantur.* A quo autem tolerentur? Valachis nempe a Tuhutumo subactis eam gratiam acceptam ejus posteri referant, quod ipsos in provincia Majorum suorum armis parta residere patiantur? At vero *tolerari Valachos propter emolumenntum regni* intelligi sane potest ex iis, quæ supra N. 26 de moribus veterum jam Valachorum diximus, ut adeo ea sit allegato loco Approbatarum Constitutionum subjecta Sententia: Valachos quidem jure civitatis Transilvanæ neutiquam pollere, neque id moribus suis fuisse meritos: tamen quum ex eorum gente maximus sit subditorum, ut vocamus, in provincia numerus, agros, pecora curantium; eis heic loci domicilium concedi.

mentio fieri; (36) atque hoc sensu verum est, in Transsilvania quatuor esse duntaxat receptas Religiones, & Valachorum Religionem ad illas non pertinere; si vero terminus *recepta* eo sensu summi velit, quod illæ Religiones solum legali existentia, & libero gaudeant exercitio, quæ receptæ nominantur, tunc Nomenclatio hæc Valachorum etiam Religioni eo minus denegari poterit, quo certius est, illam in Provincia esse antiquissimam, publico Exercitio semper gavifam, nec illa publica Lege ab illo exclusam.

Quod attinet additamentum Conditionibus Unionis trium Nationum in Approbatis constitutionibus Part. 3tiæ Tit. 1mo insertum: *E tribus Nationibus considente Regno* (37) non alium illud habere sensum, quam quod tres tantum sint in Regno Nationes, quæ Unionem inter se iniverant, *quivis perpenso totius, cui insertum est, paragraphi tenore facile perspiciet.* In eo vero sensu, quod tantum tres unitæ illæ Nationes Universitatem Regnicolarum seu statuum & ordinum in Transsilvania efficiant, summi additamentum illud eo minus potest, cum superius dicta evidenter doceant, (38) Valachicam Nationem longe ante initam inter Hungaros, Siculos, & Sa-

f

Saxo-

- 
36. Sic fatis acutum hoc, sed nempe refellitur, ut jam alibi dictum, eo qui proxime consequitur Approbat. Constit. P. I. tit. 1. articulo 3. ex decretis Comitiorum anni 1576 expresso, quo ceteris religionibus, quæ sint a quatuor illis diversæ, frænum injicitur. Ceterum, ut item jam dixi, in religionis arguento non morabor; quod incolis provinciae multis præfertim, qui ab ineunte ætate opinionibus quibusdam nihil ad Statum Provinciæ publicum adtinentibus imbuti fuerint, modo cetera publicæ tranquillitatis habeatur ratio, nullam ea causa vim afferri oportere, omnium religionum sapientes putant.

37. *E tribus nationibus considente Regno.* Quid hæc ex jure publico Transsilvaniæ significant, explicatum est supra N. 15.

38. *Evidenter doceant.* Quam evidenter id fiat, iterum iterumque diximus

xones Unionem Iuribus regnicolaribus gavisam fuisse, & una cum Hungarica Natione Universitatem Regnicolarum efficere, nec ulla unquam positiva Lege Iuribus suis exutam fuisse. (39)

(40) Omnis igitur moderna tristis Valachorum in Transsilvania fors non Legibus, sed injuriæ temporum debetur; nunquam certe probari poterit, legislativam in Transsilvania Potestatem id Injustitiæ commisisse, ut Nationem in provincia antiquissimam Iuribus civilibus per Pacta conventa, prout superius ostensum fuit, roboratis privaret & exueret: imo etiamsi iniquissima fors eo rem deduxerit, ut Clerus hujus Nationis a Iuribus, quibus aliarum Nationum Clerus gaudet, & Nobilitas ab officiis & Dignitatibus præfertim eminentioribus successive excluderetur: a publico tamen liberrimo suæ Religionis Exercitio, ab Immunitatibus item ac Privilegiis Nobilitatis nunquam Natio haec exclusa fuit, quin potius illi nobiles Valachi, qui, vel quorum Majores mutata Religione Græca R. Catholicam vel Reformatam amplexi sunt, ad eminentiores quoque dignitates sine difficultate eluctari & potuerunt & actu possunt, (41) liceat in exemplum adducere

Illu-

- 
39. Quo pacto itaque factum est, nunquam ut hæc natio, nisi si qui Nobilibus Hungaris adscripti fuerint, atque adeo ne quidem ante Seculum septimum decimum, quo se demum priscis juribus suis exutam queritur, publicis provinciæ consiliis sit adhibita?
40. Harum quæ sequuntur similes esse nenia Græcorum Constantinopolitanorum possint, suis se per Turcas victores juribus exutos querulantium.
41. At vero ad consequendam præclaris facinoribus nobilitatem atque adeo ad præcipua etiam provinciæ munera omnium apud nos gentium hominibus aditus semper patuit, ut non jam aliquos Valachorum eo spervenisse, sed in tanta horum hominum multitudine non plures, ut pervenirent, meruisse, mirandum sit. Ceterum quæ proferuntur exempla, ambigua

Illustres familias Comitum *Kendefi*, Baronum item *Iosika*, *Huszár*, *Nalátszi* & magnam partem familiarum Nobilium in Comitatibus *Hunyad* & *Districtu Fogaras* originariarum antiquis, vel recentioribus annis Religionem R. Catholicam vel Reformatam amplexarum. Gesserunt hæ familiae & actu nonnulla ex iis Individua gerunt eminentiores etiam in Principatu dignitates, quamvis illas ut & nonnullas alias etiam e primariis familias, a Romanorum reliquiis hodierna scilicet Valachorum Gente originem ducere plerisque Patriæ civibus apprime constet, & literalia ipsorum Documenta præsertim antiquiora si criticis oculis pervestigentur, manifestum reddant, & cum sub ipsis etiam Principibus, qui post compilationem Approb. Conſt. quibus præattacta additamenta opinioni, quod Valachorum Natio sit tantum tolerata, ansam præbentia inserta fuerunt, Principatum rexerunt, multi de gente Valachorum in Cœtum verorum nobilium ob merita præfertim armis comparata sint evecti, multi etiam juribus possessionariis donati fruantur, & hi & illi in hodiernum usque diem omnibus Iuribus statui Nobilitari & donatario connexis, eodem plane modo ac Nobiles, & Donatarii aliarum in Provincia Nationum, prono hinc etiam profluit alveo, Nationem Valachicam nunquam à legislativa Potestate Iuribus Regnicularibus fuisse exutam, & pro tolerata declaratam, secus Nobiles ex ejus gremio creati, honore tantum Nobilitatis prout quoad Armenos hactenus observabatur, non vero juribus etiam, & Immunitatibus de Lege cum ea connexis gaudere possent. (42)

---

else jam supra Not. 17. monuimus & sane Wolfgangum Bethlen in scribenda historia aliquando privatis familiarum similitudinibus aliquid tribuisse sic satis notum est, ut adeo in parenthesi illa (ad an. 1597. pag. 45.) non magnum possit esse situm argumentum.

42. Istuc quidem est dedita opera tenebras & latibula conjectari, aut naufragorum more proximam quamque tabulam atque adeo paleas innatan-

Cæterum statutum tale, quo Natio omnibus reliquis & antiquior, & copiosior juribus Civitatis priaretur, Confirmationem Principis pluribus ex respectibus obtinere nunquam potuisset, (43) quodsi vero absque ejus assensu conditum fuisset, non Legis vim obtinuissest, sed potius societatem civilem, in quam Hungari, & Valachi circa finem Sæculi IX. sub Duce Tuhutum data dextera coaluerunt, annihilasset, & utramque Nationem ad statum, in quo ante factam per Valachos propria sponte Hungarorum Ducis Tuhutum in suum etiam Dominum electionem fuerat, ad statum scilicet Belli, reposuisset; pugnandum ergo fuisset denuo tamdiu, donec vel Natio una aliam subjugasset, vel in nova pacta invicem coaluissent; cum autem unum vel aliud factum esse probari nequeat, manserunt utique priora pacta converta in suo vigore.

His ita constitutis, cum Natio Valachorum & Religio non publica Lege sed temporum duntaxat iniquitate in aliqua Iurium civilium parte jacturam passa dignoscatur, Opinio vero quod Natio ista una cum Religione, quam profitetur, tolerata tantum sit in Transsilvania, præadductis additamentis Collectioni Legum

Appro-

---

tes captare. Sane nec Armenis, si qui sint Transsilvaniæ Nobiles, viam ad munera publica legibus interclusam scio. Sed hominum novorum, & paucorum, & non magnopere iis Artibus deditorum, quibus & Nobilitas & via ad Magistratus provinciæ ampliores paratur, neminem ad hoc tempus ad illustriores gradus else eluctatum, quis miretur?

43. Statutum hujuscemodi nunquam conditum est, neque condit utique seu oportuit, seu potuit, Valachis ex quo tempore in jus ditionemque Hungarorum concesserunt, nunquam, ut hactenus satis aperte demonstratum, jure civitatis fruitis. At vero ea statuta, quibus jus Civitatis Transsilvanæ tribus illis Nationibus, nulla Valachorum memoria, adscribitur, utique Principum etiam auctoritate & condita & confirmata fuerunt.

Approbatum insertis omni plane fundamento carentibus innatur, ab Iustitia solum & Clementia Principis pendet, Nationem hanc ab iniquissima sorte vindicare, & ad omnia, quibus antea gavisa fuit, jura reponere. (44.)

(45.) Agnovit hoc Augustissimus quondam Princeps & Imperator Leopoldus I<sup>mus</sup> & non tantum clerum hujus Nationis circa finem superioris Saeculi Unionem cum R. Catholica Ecclesia amplexum ad omnia Iura, Privilegia, & Beneficia, quibus aliarum Religionum Clerus gaudet, admittendum ordinavit, sed vi Diplomaticis 19. Martii 1701 editi decrevit, ut quicunque etiam Sæculares et plebejæ conditionis Valachi fese Romanæ Ecclesiæ univerint, immediate Statui Catholico adnumerentur, sicque inter Status computentur, capacesque Legum patriarchum ad instar reliorum Patriæ Filiorum reddantur. Agnovit id ipsum Augustissima etiam felicis recordationis Princeps & Imperatrix Maria Theresia, dum occasione auspicati Regiminis Unitorum Provinciæ Incolarum  
jura

44. Age vero nos quoque porisma simile addamus. His ita constitutis, quum natio Valachorum ejus adeo, quo ipsa nititur, Auctoris fide ab Hungaris profligata in eorum Dominium concesserit, neque secutis temporibus unquam iis juribus fruia fuerit, quibus Nationes, quas receptas vocamus, utebantur, ut adeo merito in publicis provinciæ legibus Principum Statuumque auctoritate rogatis confirmatisque pro tolerata duntaxat habeatur: a gratia eorum, quibus in Transsilvania jus proprium est, inquilinos in numerum legitimorum Patriæ civium cooptandi, Principis nempe, Nobilium deinde, ac liberorum Siculorum Saxonumque pendet, Valachorum nationi jura civitatis Transsilvanæ impertiri.

45. Quæ heic farrago sequitur, ad parerga pertinet ex his ipsis, quæ jam dicta sunt, illustranda. Iosephi II. decreta matuori consilio sublata sunt, & (quod heic grave sane est,) jura quædam prioribus hujus Principis Decretis novi beneficii instar concessa Valachis non postliminio redditia fuerunt.

---

jura, & signanter Privilegia etiam & Diplomata ab Augustissimo suo Avo Valachis impertita confirmavit.

Agnovit denique id divus ille Cæsar sempiternæ memoriae justissimus Princeps noster Maximus Iosephus II. qui equidem pura & simplicia tum hominis, tum Civis Iura intellexit, qui cognovit injustitiam & oppressionem, qui oculis suis vidit, & perspexit Nationem Valachicam & multum super cæteras Provinciæ numerosam, & domi, & Belli summopere utilem esse, propterea justissimi Principis muneri satisfacturus ad jura Civibus reddenda, ad omne disfidium ac scissionem inter Nationes antevertendam posthabitatis quibuscunque in contrarium renitentium præjudiciis sæpius clementissime ordinavit, ut in posterum omni injusto inæqualitatis discrimine penitus sublato Valachi etiam nullo habito respectu ad Nationem, ac Religionem iisdem juribus, & Beneficiis æque, ac aliæ in hoc Principatu Gentes perfecte fruantur, atque adeo cum onera æqualia in proportione sustineant, jura quoque, & Beneficia æqualia consequantur. Sed exiguum hæc Augustissimorum Principum Diplomata, Decreta, & Ordinationes habuerunt hactenus effectum; nunc Clerus R. Catholicæ Ecclesiæ unitus admittitur quidem ad alias Immunitates, non tamen ad jura, & Beneficia, quibus aliarum Nationum Clerus gaudet, Ecclesiastici vero Graeci ritus non uniti quamvis ipsis eadem, ac aliarum Religionum incumbant obligationes, ne quidem a Contributione ( si Taxa Capitis excipiatur ) eximuntur. Nobiles Valachi hodiecum etiam præsertim in Comitatibus, non nisi cum summa difficultate ad aliqua duntaxat æque minora admittuntur officia. Quod eos attinet, qui civicæ vel plebejæ sunt Conditionis, illis vel accessus ad artes & opificia addiscenda difficultatur. Præterea in ipsis Comitiis Anno 1744. celebratis per Status, & ordines reliquarum Nationum Art. 6to declaratum fuit, citata superius indulta divi Cæsaris Leopoldi I. Valachis etiam Sæcularibus & Plebejæ fortis concessa, & a diva Imperatrice Maria

ria Theresia confirmata solum ad Ecclesiasticos & Nobilitari Prærogativa gaudentes, quorum Conditio eadem, quæ reliquorum Patriæ Civium, & qui eidem Nationi e tribus receptis systema Principatus constituentibus, ubi per adoptionem Bonorum sibi sedem fixerunt, hoc ipso absque quartæ Nationalitatis erectione, ac Constitutione adnumerati essent, referri, non vero ad Plebejos etiam extendi posse, ac debere, ne Systema Principatus evertatur, neve Plebs Valachorum aliorumque advenarum numerum inter Nationes faciat, ac vel ulli trium Nationum, earumque juribus, Privilegiis Immunitatibus & Prærogativis præjudicio sit. (46)

Agnoscit quidem Natio supplicans, quod Valachorum Nobium Conditio, quantum ad usum Privilegiorum Nobilitarium eadem sit, quæ reliquorum Patriæ Civium; cum dolore tamen fateri simul debet, quod ad eminentiores dignitates servato ritu Religioneque Græca nullus, ad minora vero pauci, & hi summa cum difficultate admittantur. Fateri porro debet, ignotam sibi esse Legem illam, vi cuius Nobiles Valachi eidem e tribus Nationibus receptis, ubi per adoptionem Bonorum sedem fixerint, adnumerati fuissent; (47) notum vero est omnibus in Historia patriæ veratis, Valachos aliquot Sæculis ante tres receptas Nationes in Transsilvania sedem domiciliumque fixisse, & circa finem Sæculi

- 
46. Paullo supra agnita per Mariam Theresiam Valachorum jura fuisse dictum fuit ab auctore libelli supplicis; at vero ex articulo VI. anni 1744. heic loci inserto qui sensus Reginæ de Valachis fuerint, sane patescit. Neque autem seu amplius aliquid arrogare sibi Valachi possunt, seu metuere, ne eo, quod ipsis hac lege tribuitur, jure vivere non permittantur; præsertim quum eundem illum articulum deinceps quoque retineri Aug. Princeps Leopoldus II. Rescripto in Praefatione nostra memorato imperet.
47. *Ignoram sibi esse legem.* Ignoram esse Valachis legem aliquam, ut maxime existeret, mirandum non esset. Cf. Not. 34. Ceterum ego quidem, si esset lex ejusmodi ferius rogata, dubitarem saltem, an non ali-

culi IX. Hungarorum tunc in hanc Provinciam ingressorum Duceum Tuhutum sua propria Voluntate data dextra in suum etiam Dominum elegisse, atque ab eo tempore Universitatem Regnicolarum in Transsilvania ex Hungaris, & Valachis constituisse, (48) non autem hos illis aut aliis Nationibus adnumeratos esse. Ignoram porro esse Nationi supplicanti Legem, vi cuius haec, vel illa Natio in Transsilvania pro recepta esset declarata; notum vero esse, terminum *recepta* primum Sæculo XVI. de novis Religionibus per Reformationem enatis usuari cepisse, & in sensu conditarum tunc temporis Legum, *receptam Religionem* non aliud significare, quam Religionem adliberum Exercitium admissam, de hac autem, aut illa Natione terminum hunc in Legibus declarationem Statuum Anno 1744 factam antecedentibus nuspam usurpari, sed Nationes legali existentia gaudentes, Regnicolares appellari, & ad harum Numerum etiam Valachicam pertinere, in superioribus, probatum est evidenter; dari tamen in Transsilvania Nationes unitas, & tres esse Nationes systema hujus Unionis constituentes, (49) Valachicam vero ad earum Numerum non pertinere æque certum est.

(50)

quo tempore id fecus fuerit: nunc vero quum nulla ante lege condita idem factum videam, penitus nempe inducor, ut credam id semper obtinuisse, quod *novellari* isto articulo anni 1744. nequaquam *decretum* sed *declaratum* dumtaxat est.

48. *Constituisse.* Id est, universos incolas, de quibus Schediasma Monostoriense loquitur, in alienis possessionibus commorantes, pendendisque decimis obnoxios Hungaros & Valachos fuisse.

49. *Systema hujus Unionis.* Quam dextre! In articulo allegato ita habetur: „Qui eidem nationi e tribus *receptis Systema hujus Principatus* constituentibus &c.“ contra in libello supplici dicuntur tres nations *Systema Unionis* constituere, At vero primum indubium est, Valachorum Nationem ad Unionem non pertinere; deinde autem authenticis documentis multis,

(50) Interim cum Unio hæc eo modo, ut juribus Regnicolribus Nationis Valachicæ alioquin in Transsilvania omnium antiquissimæ deroget, atque illa evertat, erigi nunquam potuerit: hinc acerbum, & gravissimum accidit Nationi huic, quod ipsam prætacta Statuum declaratio de Anno 1744 ad eandem cum advenis classem collocet. Non advena, sed antiqua et omnibus aliis longe antiquior est Natio Valachorum in Transsilvania; nunquam quæsivit illa, nec querit eversionem Principatus, sed potius redintegrationem, dum se ad usum jurium Civilium, & Regnicolarium, quem ipsi non Lex ulla, sed iniquitas temporum ademit, reponi querit; nunquam per hanc Repositionem præjudicium fiet aliis tribus Nationibus aut earum juribus, Privilegiis Immunitatibus & Prærogativis, cum per illam nihil aliud obtinebit Natio, quam quod prius habuit, & injuria temporum amisit, nec opus unquam erit propter supplicantem Nationem quartam erigere Nationalitatem, cum illa jam a pluribus Sæculis alteram immedieate ab Hungaribz constituerit Nationem Regnicolarem. (51)

g

Quod

publicis Regum Principumque litteris, quarum proferre possumus autographa, non ambiguo Schediasmate Monasterii cuiusdam ostendimus, statu & ordines provinciæ, atque adeo eos Transsilvaniæ incolas, penes quos cum Principe ferendarum legum potestas esset; qui Provinciæ personam in publicis consiliis sustinuissent, ex iis fuisse Nationibus confitatos, quæ Unione comprehensæ sunt.

50. Iterum neniae, quibus, ut repetam, quod supra notavi, accinere Græci Constantinopolitani possint.
51. Quid hoc autem rei? Anne in præsentia Valachi pro quarta natione habentur? minime. Tamen ut deinceps habeantur, flagitant, neque (quod nempe articulus allegatus fieri vetat) quartam nationem erigendam adserunt. Subtile nempe hoc atque acutum aliquid esse volebant: non esse erigendam quartam nationem, quoniam jam esset.

Quod vero in p̄eattacto articulo de Anno 1744 solum Nobilibus Valachis eadem cum reliquis Patriæ Civibus admittatur Conditio; plebejæ vero fortis Valachi ab ea excludantur; id equidem supplicanti Nationi acerbissimum accidit, experiturque infui, & Provinciæ desolationem funestas hujus Declarationis sequelas; etenim, ut alia silentio prætereantur, binis ab inde vicibus exturbatio miseræ hujus Plebis in nonnullis Fundi Regii circulis tentata fuit, (52) quamvis præter superius adducta, ipsum etiam fundamentale de Regio fundo sonans Privilegium Saxonice Nationi collatum, evidenter probet, Valachos itidem eisdem cum Natione hac frui debere juribus, & Libertatibus. (53)

Non est quidem intentio Nationis supplicantis, ut pro sua Plebe plus quidpiam obtineat, quam eidem jure competit: cum tamen de Præmissis luculenter prodeat, id ipsum illi competere, quod aliarum in Principatu degentium Nationum Plebi competit; hæc autem e Numero Patriæ civium haud excludatur: id præprivatis in votis habet Natio supplicants, ut sua etiam Plebs eodem modo

52. Actum fuit, ut advenæ Valachi, qui non sine insigni priorum incolarum damno, ut item olim ( Approbat Const. P. 3. t. 5. art. 2.) in quibusdam pagis sedes fixissent, ad natalia loca sua, unde non longe ante demograverant, transferrentur. Sed hoc quidem heic loci adiaphorum est,
53. Locus diplomatis anno 1224 exarati, ad quem hæc referuntur, ita habet: *Præter vero supra dicta Silvam Blacorum & Bissenorum cum aquis usus communes exercendo cum predictis sūlicet Blacis & Bisensis iisdem contulimus. Silvarum quarundam & aquarum usus Andreas II, Saxonibus & Valachis communes else voluit, si eam, quæ maxime Valachis faveat, Andreani diplomatis interpretationem adoptemus. Atque hoc titulo universe adsere, re: Evidenter constare, Valachos iisdem cum natione Saxonica frui debere juribus & libertatibus, istuc quidem est abuti insigniter illa de ampliandis favoribus Iuris Regula.*

modo ac aliarum Nationum plebei homines tractetur, atque adeo cum eadem cum his onera civilia sustineat, iisdem quoque Beneficiis perfruatur. exigentibus id variis alioquin Altissimis ordinationibus.

Quoniam vero Ordinationes hæ, & præattacta Augustissimum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Prædecessorum Diplomata in Gentis Valachicæ favorem levamenque, emanata, hactenus aut exiguum aut brevi tempore, semper vero incertum effectum habuerint; proinde nec Natio supplicans ad communem Usum jurium societatis civilis quibus ipsam noverca fors exuit, reposita sit sed in hodiernum usque onera duntaxat bajulare; Beneficiis vero Regnicolaribus carere cogatur; id vero non tantum Regulis justitiæ & æquitatis aduersetur, sed Statui quoque Publico summum adferat detrimentum, quando nulla Nationis hujus quamdiu Clerus & Nobilitas in abjecto Statu conservabitur, sperari possit Cultura, proinde nec industriae ulla accessio sed potius ignorantiam, desidiam & ignaviam cum omnibus, quæ abinde generari solent, viitiis, (54) majora adhuc apud ipsam in desolationem Provinciæ Incrementa habituram, mutuam præterea Nationis hujus erga alias & erga ipsam aliarum diffidentiam, enataque exinde interna odia, infiustosque animorum motus, & exacerbationes ampliorem cum Publicæ, Privatorumque Securitatis, & tranquilitatis periculo, accessionem sumturas fore præmetuere liceat (ad quæ omnia prævertenda Complures Patriæ Cives æquitatem justitiamque, præ oculis

g 2

habentes

- 
54. *Vitiis.* At at eo Seculo, quo litteræ illæ famigeratæ Monoftorienses exaratæ fuerunt, Valachi non erant *in abjecto Statu*, ut contenditis: an idcirco melioris frugis hæc natio fuit? Cf. quæ supra Regiarum litterarum fide dixi N. 26. quis addi potest diploma Ludovici I. anno 1366. de coercenda *Malefactorum* in Transsilvania signanter *Olaborum* licentia exaratum, quod e MSS. Cornidesianis vulgavit *Katona* Hist. crit. R. H. Tomo X<sup>o</sup> Pag. 374.

habentes Nationis supplicantis Repositionem ad usum omnium juri-  
um Regnicolarium jam pridem desiderarunt.) hinc

X Natio Valachica supplex humilisque ad Thronum Majestatis  
vestræ accedit, ac sequentia qua decet Veneratione, ac subjectio-  
ne petit rogatque.

1. Ut odiosæ & Ignominia plenæ Nomenclationes : tolerati,  
~~non~~ admissi inter Status, non recepti, aliæque hujusmodi, quæ tanquam  
externæ maculæ sine jure & Auctoritate Nationi Valachicæ affi-  
xæ fuerunt, nunc prorsus demantur, atque veluti indignæ, & in-  
juriæ Publicæ revocentur, ac deleantur; (55.) sicutque per Cle-  
mentiam Majestatis Vestræ sacratissimæ rediviva Natio Valachi-  
ca ad usum omnium jurum Civilium, & Regnicolarium repona-  
tur, proinde

2. Nationi supplicanti inter Regnicolares Nationes idem  
locus, quem ipsa juxta adductum in præmissis Testimonium Con-  
ventus B. Mariæ Virginis de Kolos-monostra Anno 1437 tenuit,  
restituatur. (56.)

### 3. Cle-

---

55. *Injuriæ publicæ.* Rem ipsam his vocabulis expressam certam esse, id  
est Nationem Valachorum non eodem in Transsilvania cum Nobilibus,  
liberis Siculis & Saxonibus jure gaudere, ex dictis constare arbitror:  
quomodo vocabula ipsa injuria haberi possunt?

56. Atqui sane multi Valachorum illustriore loco in provincia sunt nunc,  
quam olim fuisse litteris illis Monasterii Monostorienfis perhibeantur,  
quas de hominibus, quos subditos vocamus, certe non de Nobilibus  
fundorum dominis loqui manifestum est.

3. Clerus hujus Nationis Orientali Ecclesiæ addictus absque discrimine, an cum Ecclesia Occidentali in omnibus idem sentiat vel minus, Nobilitas item, ac Plebs tam civica quam ruralis eodem plane modo ac Clerus, Nobilitas & Plebs Nationum Systema Unionis constituentium consideretur, ac tractetur, eorundemque Beneficiorum particeps reddatur.

4. In Comitatibus, Sedibus, Districtibus, aliisque Comunitatibus occasione electionis Officialium, & ad Comitia Deputatorum, apud aulica item & Provincialia Dicafteria occurrentibus Officiorum Restaurationibus, ac Promotionibus applicandorum ex hac Natione proportionato Numero Individuorum justa Reflexio habeatur.

5. ~~(¶)~~ Comitatus illi, Sedes, Districtus, & Communitates Civicæ, in quibus Valachi reliquas Nationes Numero superant, nomenclationem etiam a Valachis; in quibus autem aliæ Nationes Numero præcellunt, ab his illam habeant, aut vero mixtum Nomen Hungarico - Valachicum, Saxonico-Valachicum gerant, vel denique sublata penitus Nomenclatione ab hac vel illa Natione desumpta, Nomen duntaxat illud tam Comitatus quam Sedes, & Districtus retineant, quod a flaviis, aut arcibus hactenus gesserant, & universi Principatus Incolæ absque ullo Nationis vel Religionis discrimine iisdem pro ratione Status, & Conditionis Libertatibus & Beneficiis frui, ac gaudere eademque pro mensura Virium Onera supportare debere declarentur.

Aequi-

---

57. Iam illud quidem ita nimium est, ut non alio ex capite additum videatur, quam ut Valachi negari sibi aliquid pati absque molestia possint; nam istius quidem extremi obtainendi, quamquam se ipso non magni momenti, nulla hominibus utcunque exili judicandi facultate præditis affulgere spes potuit.

Aequitati naturali, Principisque, Societatis Civilis, Pactisque conventis inniti petita hæc e supra dictis abunde patet. Et cum Natio supplicans jam Anno 1761 juxta Conscriptionem tunc in omnibus Circulis & Locis ( Districtu Coronensi excepto ) peractam ultra 547,000 Individua numeraverit, & si Valachi hujus Districtus pro illo tempore tantum in 13,000 Individuis computentur, Natio hæc tunc ex 560,000. Individuis constiterit, omnes autem reliquæ Nationes simul sumptæ computatis eo etiam Valachis, qui derelicta propria Religione ad alias transiverunt juxta Conscriptionem Anno 1766 peractam nonnisi 392,000 & aliquot centum Individua numeraverint exindeque concludere sit; Populationis modernæ Transsilvanicæ ex uno millione & fere septingentis millibus hominum juxta conscriptionem Anno 1787 consistens præcipam partem, & fors integrum Millionem ex hominibus Nationis supplicantis constitui, cum præterea duo integra Regimina limitanea in Principatu, & fere duæ tertiae trium ibidem Regiminum campestrium, & plusquam una tertia Regiminis sicolici equestris ordinis ex Individuis supplicantis Nationis consistant, & in genere publica provinciæ onera Natio supplicans a proportione majoris numeri in majori etiam quantitate, quam omnes aliæ Nationes simul sumptæ sustineat; considerit ipsa in Paterno Majestatis vestræ affectu, ex his etiam considerationibus justissima sua petita optatum fortitura eventum, præsertim cum a suprema duntaxat Majestatis vestræ auctoritate ejus repositio ad usum jurium Regnicolarium, e quo non Legœ sed iniquo duntaxat fato detrusa fuit, pendeat.

Quodsi tamen Majestatis Vestræ Sacratissimæ Intentio ea effet, ut hæ Gentis erga Augustissimam Domum semper fidelissimæ Preces Statibus & Ordinibus in Comitiis nunc in Provincia congregatis, per Regium ad illa Commissarium Plenipotentiarium

prævie

prævie communicentur, cum in hoc casu facile accidere possit, ut non obstante petitorum iustitia in præmissis satis comprobata, & magna partis Regnicolarum in Comitiis congregatorum dulcis duntaxat Patriæ Felicitatem, & publici Boni promotionem præ oculis habentium desiderio, (58) ad deferendum Nationis supplicantis precibus directo; aliqui nihilominus e Patriæ Civibus in modernis Comitiis præsentibus sive usum precibus Nationis Contrarium, præscriptione quasi roboratum ( quamvis præscriptio contra jura societatis civilis locum non habeat ) allegantes, seu adæquatam jurium societatis civilis notitiam haud habentes, seu denique Historiam Patriæ patriarumque Legum sensum minus examinantes proinde nec Iustitiam petitorum Nationis infra scriptæ satis perspicientes, & fors etiam in parte occulto quodam Nationis, & Religionis odio inducti felicem hujus rei Exitum quoquomodo impedire, & sufflammare conarentur: supplicat Natio infra scripta in omni humilitate, dignetur Majestas Vestra Sacratissima pro hoc casu clementer admittere, ut in confluxu quodam Nationali, cuius celebrandi modalitatem, & Locum duo Nationis in Provincia Episcopi, adscitis in consilium quibusdam de clero, Nobilitate Statuque militari individuis, quantocuyus Majestati Vestræ Sacratissimæ proponendum haberent, aliquot Deputati Causam Nationis ubiunque necessum erit, acturi, & defensuri, ac si huic non obstante ejus iustitia, obstatula ponerentur, omnia afflita

ctae

58. *Magna partis regnicolarum desiderio.* De quo sane, sit dicto venia, vehementer dubitari potest. Sane status & ordines Patriæ meæ ita in historia provinciæ, cuius ipsi membra sint, versatos peritus mihi est, ut quam hæc, quæ proferuntur a Valachis, levendæ sint atque inania, pervideant. An vero ea mente sint, ut existiment, Valachos recentioribus saltem temporibus ita egregie de hac patria meritos esse, ut tametsi ad hoc tempus jure civitatis Transsilvanæ fructi non fuerint, illud tamen ipsis hoc tempore beneficium sit impertiendum, viderimus.

ctae Nationis gravamina in ordinem redacturi, & vestrae Majestati pro clementissima medela proposituri elegantur, necessariaque hunc in finem Instructione munitantur.

Dignata est Majestas Vestra Sacratissima, similem Gratiam, & consolationem non tantum illi Nationis supplicantis parti, quæ Banatum, Comitatusque Hungariae Banatui & Transsilvaniæ vicinos incolit, totique Illyricæ Nationi, sed & omnibus Amplissimæ Monarchiæ Gentibus clementissime impertiri. Exposuerunt illæ omnes e publicis Confluxibus sua Gravamina & postulata Majestati Vestrae Sacratissimæ, nec ulla ab Augusto Clementiæ Throno inconsolata recessit: sperat ideo Natio quoque supplicans integrum fere Millionem hominum constituens in ultimis quidem Monarchiae finibus constituta, Augustissimæ tamen Majestatis Vestrae Domui corde animoque semper fidelissima Consolationem, pro qua supplicat, ab Iustitiæ, & clementiæ fonte semet æque consecuturam (59)

### Majestatis Vestrae Sacratissimæ

humillimi perpetuoque fideles subditi Clerus, Nobilitaris Civicusque Status universæ Nationis in Transsilvania Valachicæ.

---

59. Atque his in utramque partem uberiorius disputatis cogamus jam denique in brevem summam omnem hanc farraginem, atque rem ipsam parergis refectis uno obtuitu pervidendam lectorum judicio offeramus.

Argumentum est: fueritne Valachorum natio ex eo tempore, quo Transsilvania in potestatem Hungarorum concessit, eodem, quo tres, quas

quas receptas vocamus, nationes jure civitatis Transsilvaneæ fructa.

Iam primum quid hoc *Ius civitatis* significet, quo ve indicio, quisnam ex institutis provinciae hoc jure fruatur, intelligi possit, statuendum est. Ac mihi quidem luculentum videtur, eos, qui se hoc jure gaudere adfirment, docere oportere, jure se Suffragii in comitiis provinciam repræsentantibus gaudere, atque aut immediate, ut vulgo dicitur, aut media te per legatos partem aliquam in ferendis legibus, capiendisque pro Salute patriæ communi consiliis habere.

Atque hoc constituto videamus, quid a Valachis ad jus istud nationi suæ adserendum, quid a nobis contra prolatum sit.

\* Primum ergo Valachorum argumentum istuc est,

Valachi vetustissimi eorum, qui nunc sunt, Transsilvaniae incolæ, pactis cum Tuhutumo Vngarorum duce, teste Anonymo Belæ Notario, initis jus Transsilvaneæ civitatis cum Vngaris æquo jure obtinuere, neque serius eodem lege aliqua definita exuti atque adeo hoc jure ad seculum usque septimum decimum usi fuere.

Quæ huc proxime pertineant, responsa nostra hæc sunt.

1. Ostendimus Valachos nostros, et si parte aliqua Romanorum esse reliquias largiamur, non continenter a Trâjani ætate in Transsilvania restitisse, (dem tis fortasse paucissimis de Romanorum plebe, qui se a ceteris in Mœsiam abeuntibus avulserint, atque inter Dacos latitarint.) Sed si Romanis, Græcis atque Valachis Scriptoribus fides sit habenda, eosdem faltem majore frequentia serius atque adeo fixo jam Hungarorum in Transsilvania imperio ex regione Haemi montis in Valachiam atque deinceps in Transsilvaniam commigrasse.
2. Belæ Notarii sesqui quarto Seculo ab rebus, quas narrat disjuncti, atque ita rudit, ut in Duce admodum, cuius auspiciis Hungari in has terras venerint, designando aberret, (quod Pray multis & Annalium suorum & Dissertationum locis ostendit) qui que vulgi cantilenis jocularibus pro fonte historiae usus fuerit, narrationem de Tuhutumo a Scriptorum & longe antiquiorum & cetera accuratissimorum narratione abhorrentem non esse ejus ponderis vidimus, ut pro fundamento juris nationi integræ

adserendi haberi tuto possit. Sed hanc quidem de aetate auctoritateque istius Notarii item Prayum inter & Auctorem Historiae criticae Ducum Hungariae agitamat nequaquam definiendam nobis summimus. Neque sane necesse est; nam

3. Verba ipsa Belae Notarii cum habere posse explicatum docuimus, ut incolas Transsilvaniæ profigato suorum exercitu, Duce Gelou enecto, vitæ gratiam fibi a victoribus Ungaris depactos fuisse, cetera eos pro Dominis, ut ex jure belli par erat, habuisse intelligamus. Id quod
4. Confirmavimus multis sane veteribus atque adeo Seculo septimo decimo vetustioribus documentis, ex quibus evidenter patescit, Valachorum nationem nunquam jure Comitiorum atque adeo eo jure fuisse gavilam, ut in communibus patriæ rebus procurandis ejus aliquæ partes essent, tam et si quidam Valachi præclare factis suis id consequuti sint, ut Nobilibus Hungaribus accenserentur. Quum itaque nulla definita lex sit, qua Valachorum nationi jus civitatis Transsilvanae abrogatum serius dici possit, id esse argumento diximus, nunquam inde ab Ungarorum adventu nationem Valachorum hoc jure fuisse gavilam.

Alterum, quod a Valachis profertur, argumentum abrupta sententiola, excerpta ex littoris conventus Monostoriensis anno 1437 exaratis, nuditur, quæ sic habet: *Paulus Magnus de Vaidabáza vexillifer Universitatis regni colarum Hungarorum & Valachorum.* Qua quidem intelligi volunt, universos Transsilvaniæ Status eo tempore Hungaros Valachosque fuisse, atque adeo eodem utramque Nationem jure fuisse gavilam.

Contra nos prolatis ipsis litteris, quatenus a Prayo exscriptæ fuerunt, vidimus

1. Nequaquam his litteris id ex instituto agi, ut *Status provinciæ Transsilvanae* designentur.
2. Sermonem heic fieri de hominibus alienorum fundorum colonis, pendensque decimis Episcopo Transsilvanensi obnoxiiis, atque adeo non de hominibus, qui pro Statibus & Ordinibus haberi possint.
3. Aliorum Regum litteris cum hoc Schediasmate contextis extricavimus denique, Sermonem in his litteris esse de colonis Episcopo Transsilvanensi.

ensi obnoxii, ex quorum Decimis *Banderium* sub signo Episcopi militare solitum aleretur, atque universæ hujus turmæ, non omnium totius Transsilvaniæ Statuum & Ordinum vexilliferum *Magnum* illum fuisse.

Extremum additur levidense istud: Cl. Pray de iisdem litteris loquens ait: eosdem Hungaros & Valachos provocare ad instrumentum S. Stephani Regis, in quo de suis immunitatibus agatur, atque hinc concluditur, Hungarorum & Valachorum easdem immunitates fuisse.

Respondimus 1. Diploma istud Stephani, ad quod Hungari illi & Valachi intervallo quatuor Seculorum provocant, nemini admodum, ne Prayo quidem, ut ipse Sulzero confessus est, visum. At vero nos, si simus tantisper increduli, neque eo ipso, quod Valachi ad quasdam veteres litteras provocent, easdem litteras etiam extitisse certum habeamus, excusandi sane sumus, qui nimirum sciamus, nostra admodum ætate Valachos in publico hujus Provinciae tribunalí ad litteras *metales* Attilæ in charta linea, hodierno Valachorum idiomate, atque hodiernis ipsorum characteribus exaratas provocavisse, iisque vetera sua jura in pago Re. finar confirmare adnisos fuisse.

2. Ex litterarum, in quibus hæc provocatio fit, argumento judicari posse, si quæ Valachis a D. Stephano immunitates datae sint, eas ad rationem præstandarum decimarum, non ad jus civitatis, de quo agimus, pertinentiisse.



